oder Tadelns der Recepte enthalten, ſich den Apothekerviſitationen des Landphyſicus, eines committirten Medizinalraths, oder des Phyſicus zu jeder Zeit unterwerfen und ihm, ſo wie auch jedem Arzt, jedes Mittel, das derſelbe unterſuchen oder prüfen will, willig vorzeigen, ihm das Laboratorium, die Materialienkammer, den Kräuterboden &c. öfnen, und ihre Bücher, Cap. XV. §. 2. und 11. zur Einſicht vorlegen. Auch ſollen die Apotheker keine heimlichen Kunſtgriffe oder Beſtechungen anwenden, um ſich widerrechtliche Protectionen, Empfehlungen, oder Nachſichten gegen Fehler, Mängel oder Vergehungen zu verſchaffen: noch vielweniger ſollen ſie einen Arzt oder Wundarzt in Geſellſchaft nehmen, oder ihm in Waaren und Materialien gleichen Gewinn oder Verluſt geſtatten dürfen. Die Apotheker ſollen unter einander einträchtig und in wechſelſeitigem Zutrauen leben, keiner ſoll dem andern etwas verkleinerndes oder ehrenwiedriges nachreden, ſondern, wenn er wichtige Fehler oder Vergehungen eines anderen Apothekers erfähret oder wahrnimmt, ſelbige nebſt den gehörigen Beweisthümern, dem Phyſicus, der competenten Obrigkeit oder ſelbſt auch Unſerer Vormundſchaftlichen Regierung zur Unterſuchung anzeigen. Sie ſollen ſich auch

§. 16.

eines ordentlichen und moraliſchen Lebenswandels befleiſsigen, ſich vor Trunkenheit und andern ſittlichen Fehlern hüten, Tag und Nacht willig und bereit ſeyn Arzeneyen wegzugeben, oder die eingeſchickten Recepte zu verfertigen, ſich des Ausforſchens und Fra-

gens

gens nach den Umſtänden und Zufällen der Kranken enthalten, alle eckelhaften, unreinen Gewohnheiten bey dem Receptiren oder Arzeneyweggeben, z. E. das Kauen der Stöpfel, das Anhauchen der Pillen, das Ausſtreichen der Gefäſſe mit den Fingern &c. vermeiden. Sie ſollen

§. 17.

ſich durch fleiſsige Leſung naturkündiger, botaniſcher, pharmazevtiſcher und chemiſcher Schriften, durch eigene oder andern nachgearbeitete Verſuche, durch Anſammlung eines *Herbarii vivi* und durch Rathfragen der Aerzte bey ihnen aufſtoſsenden Zweifeln und bey ungewöhnlichen unter der Zubereitung chemiſcher Arzeneymittel vorfallenden Erſcheinungen oder Wahrnehmungen täglich mehr Kenntniſſe und Einſichten zu erwerben und ihre Geſchicklichkeiten noch mehr zu vervollkommnen ſuchen.

§. 18.

Die Apotheker ſollen ſich bey Verkaufung oder Berechnung der Arzeneyen oder der verfertigten Recepte (die Berechnung der für arme Kranke abgegebenen Arzeneyen ausgenommen, welche ſie nach ihrer eigenen Erklärung um den vierten Theil wohlfeiler geben) genau nach der bekannt gemachten Apotheker-Taxe richten, die Arzeneyen oder Recepte weder höher, noch um ſich mehreren Abgang zu verſchaffen, oder zum Nachtheil eines andern Apothekers, geringer, als in der Taxe beſtimmet iſt, verkaufen oder in Rechnung bringen. Bey Berechnung oder Verkaufung ſolcher Arzeneyen, die nicht im Diſpenſatorium, folglich auch

nicht in der Taxordnung befindlich ſind, ſollen ſie die Billigkeit obwalten laſſen, und Niemanden übertheuren. Da die Einkaufungspreiſe verſchiedener Arzeneywaaren, die in der Apothekertaxe zur Nachricht des Publikums hinführo mit einem + bezeichnet werden ſollen, zu Zeiten ſteigen oder fallen, ſo ſollen die Apotheker, zur Beförderung ihres eigenen Beſtens, alle Jahre und jedesmal wenigſtens ſechs Wochen vor Michaelis dem Landphyſicus nebſt beygelegten Preiscourauten diejenigen Arzeneyen anzeigen, welche im Einkaufspreis eine Veränderung erlitten haben, und zugleich ihre Vorſchläge beyfügen, in weit der Preis dieſes oder jenes Arzeneymittels abgeändert werden könne. Hiernach wird der Landphyſicus, nach Maasgabe des Abſchnitts I. Cap. IV. §. 6. der Medizinalordnung, ſeine Vorſchläge zur Reviſion der Apotheker-Taxe, jedes Jahr, an Unſere Vormundſchaftliche Regierung einſchicken, welche darüber entſcheiden und die Reviſion zur allgemeinen Nachricht in das Intelligenzblatt abdrucken laſſen wird. Auch wollen Wir, daſs das zeithero gewöhnliche Neujahrsgeſchenke der Apotheker, an Aerzte, obrigkeitliche Perſonen und an die Kunden, um den Apothekern, welche hinführo ihre Waaren ſtreng nach der genau berechneten Taxe verkaufen müſſen, alle überflüſſigen Ausgaben zu erſparen, und die Aerzte von dem möglichen Verdachte zu befreyen, als könnten ſie den Apothekern dieſes Geſchenks wegen unbillige Nachſicht oder unſtatthafte Gefälligkeiten angedeihen laſſen, in Zukunft gänzlich abgeſchaft ſeyn und unterbleiben ſoll.

§. 19.

§. 19.

Jeder Apotheker soll gehalten seyn, dafür zu sorgen, dafs jederzeit, auch Sonn- und Festtags, ein gehöriger Receptarius in der Officin zugegen sey. Auch darf der Apotheker oder der Provisor weder bey Tag noch bey Nacht ohne Vorwissen des Physicus verreisen; es sey denn wo beyde, Herr und Provisor, verpflichtete Verwalter der Apotheke sind, und dem einen also die Befugnis zu verreisen zustehet.

Sechzehntes Capitel.

Von den Visitationen der hieländischen Apotheken.

— — — — —
— — — — — —
— — — — —

Siebzehntes Capitel.

Von der Annahme, Unterricht, Losprechung und der Behandlung der Apotheker-Lehrlinge.

§. 1.

Kein hieländischer Apotheker darf einen Lehrling der Apothekerkunst annehmen, welcher noch nicht volle funfzehn Jahre alt und ehe derselbe dem Physicus des Orts vorgestellt und von diesem einen genehmigenden Prüfungsschein erhalten hat. Der Physicus soll den ihm zum Apothekerlehrling vorgestellten jungen Menschen, welcher ihm jedesmal auch ein glaubwürdiges Zeugnifs seines Alters vorzeigen mufs, pflichtmäfsig prüfen: ob er die nöthigen Verstandesfähigkeiten besitze? ob er die gehörigen Kenntnisse der lateinischen Sprache inne habe und ob er eine deutliche, leserliche Hand schreibe? Findet der Physicus, dafs der ihm vorgestellte Lehrling die

erforderlichen Eigenſchaften nicht beſitzt: ſo ſoll er die Annahme deſſelben unterſagen, und der Apotheker ſoll verbunden ſeyn, ihn zurückzuweiſen. Hat aber der Phyſicus nichts gegen die Annahme deſſelben einzuwenden, ſo ſoll er demſelben einen Prüfungsſchein einhändigen, und der Apotheker kann ihn alsdenn in die Lehre nehmen.

§. 2.

Jeder Apotheker iſt auf ſeinen Eid und Pflicht verbunden, dem in ſeinen Unterricht oder in die Lehre genommenen jungen Menſchen die Kenntniſs der rohen oder einfachen Arzeneymittel, ſowohl nach ihren Kennzeichen als nach ihren Beſtandtheilen beyzubringen, ihn in den Anfangsgründen der Chemie zu unterrichten, ihm die nöthigen Regeln bey Verfertigung der Recepte und bey Bearbeitung der chemiſchen Arzeneymittel zu geben, ihm die pharmazevtiſchen Proceſſe zu erklären und ihn zu Leſung guter chemiſcher, pharmazevtiſcher, botaniſcher und naturkundiger Schriften anzuhalten, kurz, alles anzuwenden, um aus dem Lehrling einen brauchbaren Geſellen zu erziehen. Der Lehrherr ſoll ſeinen Lehrling nicht zu harten oder der Geſundheit nachtheiligen Arbeiten anhalten, noch vielweniger ihn durch Anbefehlung häuslicher Geſchäfte oder Feld- und Gartenarbeiten im Lernen hindern oder vernachläſsigen. Der Phyſicus des Orts ſoll auf die Erziehung und den Unterricht des Apothekerlehrlings ein wachſames Auge haben, und den Lehrherrn, welcher ſeiner Lehrpflicht nicht nachkömmt, warnen, und wenn dieſe Warnungen fruchtlos bleiben ſollten, die Vernachläſsigungen oder die Fehler deſſelben der competenten Obrigkeit zur weiteren

Ver-

Verfügung anzeigen. Sollte der Lehrherr vor geendigtem Unterricht ſeines Lehrlings verſterben, ſo ſoll der nachfolgende Beſitzer oder deſſen Proviſor verbunden ſeyn, den Lehrling beyzubehalten und deſſen Unterricht gehörig fortzuſetzen.

§. 3.

Wenn ein Lehrling ſeine Lehrjahre überſtanden, und losgeſprochen oder zum Geſellen erkläret werden ſoll, ſo muſs der Lehrherr dies vorher dem Phyſicus anzeigen, und dieſer iſt verbunden, den Lehrling über ſeine erlernten Kenntniſſe in Gegenwart des Lehrherrn und des Proviſors zu prüfen: ob er die rohen Arzeneymittel kenne und zu unterſcheiden wiſſe? ob er die Anfangsgründe der Botanik, der Naturkunde und der pharmazevtiſchen Chemie inne habe, und ob er gehörig recepiren könne? Findet der Phyſicus, daſs der Lehrling die erforderlichen Kenntniſſe und Fertigkeiten beſitzt, ſo ſoll er demſelben einen Prüfungsſchein darüber ausſtellen, und der Lehrherr kann ihm hierauf einen förmlichen Lehrbrief ausfertigen, welchen aber der Phyſicus mit unterzeichnen ſoll. Hat aber der Lehrling noch nicht die erforderlichen Kenntniſſe erlernt, ſo ſoll ihm der Prüfungsſchein verſagt, und die Urſachen ſeiner Unwiſſenheit unterſucht, und nach dem nun die Schuld an dem Lehrherrn oder an dem Lehrling liegt, von der Obrigkeit verfügt werden: ob und unter welchen Bedingungen der Lehrherr den Unterricht ſolchergeſtalt fortſetzen ſoll, daſs der Lehrling in dem folgenden Examen tüchtig befunden werde.

§. 4.

§. 4.

Der Herr oder Proviſor der Apotheke darf den Lehrling, nachdem derſelbe die nothwendigen Vorerkenntniſſe erlernt, zwar die leichten und nie heftig wirkenden Recepte verfertigen laſſen, aber deren Verfertigung ihm nie allein anvertrauen, ſondern jedesmal dabey gegenwärtig ſeyn und Obacht haben, daſs der Lehrling bey dem Receptiren nicht irgend einen Fehler begehe. Will der Lehrherr oder Proviſor dem Lehrling die Verfertigung der leichteren und minderwichtigen Recepte ohne Aufſicht anvertrauen, ſo ſoll er ihn zuvor von dem Phyſicus prüfen laſſen: ob er die zum Receptiren nöthigen Kenntniſſe und Fertigkeit beſitze; aber auch im Fall der Phyſicus ihn zur Verfertigung dieſer Recepte fähig findet, ſoll der Lehrherr oder der Proviſor gehalten ſeyn, ihn zur Verfertigung der Recepte nach Cap. XV. §. 4. 5. 7. 8. 9. der Medizinalordnung von der Obrigkeit verpflichten zu laſſen, und für jeden Fall, wo er ihm bedenkliche, ſchwerere oder wichtigere Recepte anvertrauet, und auch für des Lehrlings richtige Beurtheilung, welches Recept leicht oder welches bedenklich ſey, ſelbſt verantwortlich ſeyn, am wenigſten aber darf er ihm erlauben, heftigwirkende oder Gift enthaltende Recepte zu verfertigen, oder ſelbſt Gifte wegzuwiegen, oder zu verkaufen, und im Uebertretungsfall ſoll er in verhältniſsmäſsige Geld- oder Leibesſtrafe genommen werden.

Sectio secunda.

Regulae pro pharmaceuticorum vegetabilium collectione, siccatione & asservatione.

I. Cultura, plantarum virtuti medicae iniqua est; plantae agrestes & sylvestres ideo in collectione hortensibus praeferendae sunt.

II. Inter ejusmodi speciei plantas, eligendae quae ex solo sicco, elato vel montano germinant, virtute medica enim antecellunt in paludoso ac humido habitantibus.

III. Sic & plantae ejusdem speciei aëri libero & radiis solis expositae, prae in umbra & locis sole privatis crescentibus colligendae sunt.

IV. Quaslibet plantarum partes sereno semper caelo, neque pluvia neque rore madidas colligere pharmacopoeum oportet.

V. Plantae & plantarum partes insectis vel vermibus erosae, decoloratae & emarcidae rejiciendae sunt.

VI. Plantae & ipsarum partes ante exsiccationem ab omnibus impuritatibus ac heterogeneis caute expurgentur.

VII. In siccandis plantis cautione opus est accurata, ne permutationi vel permixtioni plantarum locus relinquatur, bene ergo quaelibet copia earundem plantarum a copia aliarum satis remota maneat & tabula nomine plantae inscripto distinguatur minime mobili.

VIII. Omnes plantae indigenae earumque partes quolibet anno recentes colligantur & exsiccentur, & quaelibet ex collectione anni praeteriti reliquae abjiciantur. Omnes plantarum partes odore volatili vel mox pereunte praeditae, minime in loculis apertis sed optime in ampullis terrestribus vel vitreis asserventur.

IX. Plantarum *radices*, nonnullis, quae in delectu radicum noſtro indicatae leguntur, exceptis, ante florum colligantur explicationem. *Annuae* radices, antequam protrudant caules & flores, effodiantur. *Biennes* altero vere ante caulis germinationem evellantur, defectu autem urgente etiam autumno primo, aſt tunc poſt foliorum & caulium marcorem erui poſſunt. *Perennes* vere vel autumno ante florum expanſionem colligantur, exceptiones ſuo loco videndae. Notetur autem plantarum radices primo vere caules pullulantium v. c. radix gei urbani, ſimulac terra ſolvitur, & earum quae hyeme edunt flores v. c. radix hellebori nigri, autumno ineunte effodiendas eſſe; radices bulboſae maximam partem autumno, caulibus emarcidis, colligendae, repentes & fibroſae autem v. c. radix graminis, vere ineunte. Radices arborum & fruticum etiam tempore verno, tamdiu lignum decorticari ſe finit, evellantur.

X. Spongioſae, farinaceae, eroſae, carioſae radices, inprimis vero quarum cortex plane exſuccus deprehenditur, in colligendo rejiciantur, integritas enim radicum denotatur ſucculento ac toroſo corticum habitu.

XI. Probe radices a quisquiliis & impuritatibus ſolerti ſed veloci in aqua frigida purgentur abluitione, quae vero principiis aromaticis, fragrantibus ac balſamicis abundant lotione jacturam faciunt, ſufficit ſi de leniter ſiccatis partes terreſtres ſordesque excutiantur. Fibrillae radicum, niſi uſus medicus earum retentionem deſiderat, reſcindendae veniunt. Radices praegrandes & ſucculentae expurgatione peracta vel in talcolas diſſecandae vel longitudinaliter diſſindendae.

XII.

XII. Omnes radices, inprimis vero fragrantes, loco calido aëre perflato, vel leni & cauto fornacis calore cito siccentur, ita vero ut caloris gradus repentine magnus evitetur, nec prius ciftis immittendae sunt, quam cum exacte siccatae fuerint. Quaedam radices cujus virtus siccatione perit v. c. radix armoraciae, in cella fabulo sicco reconditae serventur.

XIII. Radices siccatae frigido sed siccissimo serventur loco ne mucorem vel cariem induant, odore autem praeditae forti, ut radix Valerianae, vitreis includantur vasis.

XIV. Ad collectionem *lignorum* & *corticum* tempus vernum, quando arbores & frutices gemmascunt & frondescunt, est aptissimum, ac ex arboribus capi debent junioribus ac vegetis.

XV. *Stipites* autumno incunte resecentur, tunc succo scatent efficaciori.

XVI. Modus siccandi & servandi ligna, cortices & stipites, lichenibus ac muscis probe abrasis, modo siccandarum radicum similis est.

XVII. *Turiones* & *gemmae* vere primo, quando a partibus adhuc obvolutis turgescunt, & ante foliorum explicationem decerpendae.

XVIII. *Herbae* & *folia* coelo sereno, rore nocturno exsiccato & vespertino nondum exorto colligantur.

XIX. Herbae plantarum annuarum tempore florum expansionis, biennium tempore verno ante caulis proceritatem, & perennium ante florum explicationem colligantur.

XX. Herba flaccida & flava rejiciatur, solummodo enim vegeta, integra ac recens vires possidet medicas.

XXI.

XXI. Herbae vel calore solis forti, in loco ab aëre perflato, vel foci communis, semper vero ea copia exsiccentur qua exsiccatio citissime fiat, color nativus perfectissime servatus indicium est virium per tostionem minime amissarum.

XXII. *Flores* optime ante plenissimam explicationem, saltem nuper expansi, colligantur, certe antequam antherarum pollinem exploserint; simulac petala florum delapsui enim proxima sunt, virtutis maximam partem perdiderunt & ad usum medicum inutilia evaserunt.

XXIII. Tempestate flores decerpendi sunt siccissima, & postquam radii solis rorem dissipaverint, ne in exsiccatione corrumpantur.

XXIV. Siccentur, quum color ac odor repente pereunt, eodem modo ut herbae, semper quam fieri potest citissime.

XXV. *Fructus*, nisi ars medica definite immaturos poscat, semper maturi, sed minime nimis maturi, decerpantur.

XXVI. *Semina* colligantur perfecte matura, sed minime quae sponte excidere.

XXVII. In loco semina exsiccanda sunt ab aëre bene perflato, & ea quae capsulis, involucris &c. inclusa sunt & his munita siccentur & serventur.

XXVIII. Communiter ante usum medicum, delectus seminum necessarius est, eo modo instituendus, ut aquae immittantur frigidae & omne supernatans abjiciatur, fundum vero quod petit iterum siccandum & asservandum sit, quae immissio autem brevis fiat, ne maceratione partes extrahantur aromaticae.

DISPEN-

DISPENSATORII LIPPIACI.

PARS PRIMA

exhibens

medicamina ac pharmaceutica simplicia & praeparata
ab ipso pharmacopola rarissime elaborata.

SECTIO PRIMA.

Medicamina & pharmaceutica mineralia.

I. Lapides & terrae.

Bolus rubra, rother Bolus.

□ ⊙

Argilla bolus rubra Linn. & Walter. Coloris rubri dilutioris, hinc inde lineis vel maculis albis vel luteis interſperſi. Tactui pinguis & laevis, linguae adhaerens, ſaporis conſtringentis. Cum acidis mineralibus raro effervescens; recenter fracta ſplendens; multum aquae imbibens. Eligatur quae in aqua ſoluta ſedimentum format varietatis expers. Comparatur ex epiſcopatu Salisburgenſi, ex Bohemia & ex Gallia, communiter praeſto eſt in ſegmentis tres digitos longis & duos latis.

Calx viva, ungelöſchter Kalk, lebendiger oder gebrannter Kalk, Leberkalk.

□ ⊙

Terra calcarea cauſtica B. Terra alba, rara & friabilis, e lapidibus & terris calcareis uſtione parata, ſaporis acris, pungentis & conſtringentis, cum acidis quidem excandeſcens, ſed minime, ſaltem vix, effervescens, aquam affuſam ebullitione calida & fumante ardenter imbibens; in aëre in pulverem ſolvitur minus acrem cum aqua non amplius effervescentem, eaque non ſolubilem. Eligatur penitus uſta cum acidis minus effervescens, ſtatim & vehementer in aqua excandeſcens & exinde in totum dilabens. Cuſtodienda in vaſa clauſa contra aëris accеſſum.

Calx viva in aëre tractu temporis dilapſa vel aqua macerata. *Calx extincta*, gelöſchter Kalk, appellatur.

Creta alba, Kreide, weiße Kreide.

□ ⊙

Calx creta L. Creta alba W. Terra alba alcalina, ſiccиſſima, admodum fragilis & friabilis, facile tingens, ſapore & odore carens, ad attactum quaſi frigida, non ponderoſa, aquam imbibens, acidis omnibus praeter vitriolico ſolubilis & calcinatione calx viva evadens. Sit peralba, leviſſima & non arenoſa. Inprimis ex epiſcopatu Colonienſi advehitur in maſſis plus minusve magnis.

Spathum

Giesst man einige Tropfen von flüssiger Schwefelleber auf gepulverten Spat so wird der Flusspat Stein schwarz, Schwerspat bleibt unverändert.
Pelletier in Annales de chimie 1791

Spathum ponderosum, Schwerspath, Selenitspath.

□

Gypsum spathosum W. Marmor metallicum Cronst. Terra ponderosa vitriolata Bergm. Lapis solidus, admodum ponderosus, communiter figurae irregularis, vel globosae, vel tabulatae, vel crystallinae, compagis foliatae, saepe fibrosae, coloris albi, lactei, vel cinerei, vel ex albo flavescentis, vel rubescentis; pellucidus, vel transparens, vel semipellucidus vel opacus. Diffractus in marginibus splendet. Ex chalybi ignem non elicit. In igne crepitat & dissilit, tandem in pulverem mutatur affusa aqua non indurescentem, & cum acidis vix effervescentem. Igne fortissimo fine bullitu funditur & in momento fusionis lucem edit phosphorescentem, ante tubum ferruminatorium carbonem corrodit vapore sulphureo. Eligatur cum metallis inprimis cupro vel plumbo non inquinatum, ergo pellucidum vel semipellucidum, vel transparens, coloris albi vel lactei & crystallisatum, intus ab omnibus punctis metalliferis purissimum & extus florum metallicorum expers, nec valde coloratum. Comparatur ex Hercyniae & Saxoniae fodinis.

II. Inflammabilia & bituminosa.

Asphaltum. Bitumen judaicum, Aſphalt, Judenpech, Erdpech.

□

Bitumen asphaltum L. & W. Substantia solida nigra vel e fusco nigra, levis, fragilis, glabra, diffracta nitens, saporis pauci & odoris nullius, dum fricatus vero fortis empyreumatici. In igne facile fluit, flammaque alba, odore empyreumatico deflagrans, carbonem relinquens; in aqua & spiritu vini non solvitur. Quod fumo nigro deflagrat, adulteratum vel impurum est. Ex Aegypto, ubi mari mortuo magna copia innatat, ad nos venit.

Flores sulphuris, Schwefelblumen, Schwefelblüthen.

□ ☉

Sulphur hoc sublimatum pulvis est subgilvus, tenerrimus, ad tactum laevis & lubricus, qualitatibus sulphuris distinctivis conspicuus. A pharmacopolis nostratibus vix elaborantur, ex Hollandia enim qualitate bona & vili pretio comparandi. Minus ob pretium vix adulterantur & adulterati liquefactione & deflagratione facile dignoscendi. Floribus sulphuris communiter vendibilibus adhaeret adhuc acidum vitriolicum vel partibus scatent arsenicalibus, ergo ante usum pharmaceuticum aqua calida abluendi sunt.

Oleum

Odor fit olei petrae accensi similis et nimis picatur. Asphaltum granum alioqui viri colore imbuit viridi. Nicolai Terapia B IV. S 22.

Oleum petrae, petroleum, Bergöl, Steinöl, Erdöl.

□

Bitumen petroleum L. & W. Fluidum conſiſtentiae olei expreſſi, odoris fortis & ſaporis acris. *Album* & limpidum ex inſula Sumatra, ex Perſia & ex Ducatu Modenenſi allatum. (Bitumen Naphtha) aquae & ſpiritibus ſupernatans, flammam facile arripiens & penitus deflagrans apud nos eſt rariſſimum. Petroleum in noſtris pharmacopoliis proſtans coloris eſt *flavi* vel *e fuſco rubri* odorisque ſuccini, calefactum inflammari poteſt & ardet flamma admodum fuliginoſa. Spiritu vini, quem quidem colore imbuit, non ſolvitur & cum aqua minime miſcetur. Temporis tractu aërisque expoſitione colorem ſenſim induit obſcuriorem, ſaporem & odorem ingratiorem, conſiſtentiam craſſiorem. Adulteratio cum oleo terebinthinae per odorem proditur terebinthinaceum in cochleari fervido, & per ſolubilitatem in ſpiritu vini; cum oleis expreſſis vero depravatum cum oleo vitrioli nigreſcit & condenſatur odore ſulphureo, cui mixtioni exploratoriae ſi affunditur aqua, oleum petrae ſupernatat facile ſeparandum. Flavum ex Sicilia & Italia, rubrum ex Alſatia & Languedocia adportatur.

Succinum. Carabe. Electrum. Ambarum. Ambra flava. Bernſtein, Agtſtein.

□

Succinum electricum L. Succinum ſuccinum W. Subſtantia ſolida, fragilis, coloris flavi, fuſci, vel albi,

pellucida vel transparens, fractum aequale, laevè & nitens, & dum pulverisatur odorem spargens gratum; fractum corpora attrahit tenuiora & leviora v. c. chartae, ligni segmenta; igni impositum fumat, liquescit & grato odore deflagrat massam nigram relinquens vel e nigro rubram. In oleo vitrioli mox solvitur, affusa vero aqua vel spiritu vini iterum praecipitatur. Nec aqua, nec spiritu vini perfecte solvitur. Eligatur succinum flavum, vel dilutius coloratum, pellucidum, super carbonibus odore fumans & ardens succinneo, & vi attractiva eminens.

Hisce notis succinum verum facile ab illo spurio vel factitio Americano *Gummi de Look* appellato dignoscendum. Pharmacopolae ad suas pharmaceuticas praeparationes uti possunt fragmentis vel rasura succini. E terra effoditur, & tunc majori gaudet duritie & *succinum fossile*, vel ad littora maris, inprimis Balthici reperitur quod *succinum haustile* vocatur. Ex Borussia, Polonia, Pomerania adfertur.

Sulphur citrinum, vulgare, factitium, gelber Schwefel, reiner Schwefel.

□ ⊙

Sulphur purum vel eliquatione vel destillatione e pyritibus sulphureis vel tanquam res subseciva in tostione mineralium sulphuratorum eductum, purificatum & in formam cylindriacam redactum. Substantia solida, coloris flavi vel ex flavo viridescentis, saporis & odoris nullius, in aëre invariabilis, leni igne colore rubro pellucido

lucido liquefcens, poſt refrigerationem vero colorem ac duritiem recuperans priorem. Flamma ardet caerulea, odore forti vaporeque ſuffocante. Salibus alcalinis & oleis praecipue unguinoſis ſolvitur, aſt minime aqua & ſpiritu vini. Cylindri ſulphurei manu clauſi calida crepitant & ſaepius rumpuntur. Eligatur optime flaveſcens, facillimum inflammatu, flamma ardens lucida ac optime caerulea. Germania, Helvetia, Italia, Islandia plures poſſident officinas ſulphurarias.

III. Metalla. Semimetalla & minerae.

Antimonium crudum, ſtibium, Spießglanz, Spietzglas.

□ ☉

Antimonium ſive ſtibium ſulphuratum B. Subſtantia ponderoſa, aſpera, obſcure plumbei coloris, inſipida & inodora, deſtillatione per deſcenſum ex mineris ſuis elicita, a particulis heterogeneis, aſt non penitus, depurata ac in formas pyramidales redacta. Eligatur ſolidius & ponderoſius, ductu transverſali diffractum vix ſplendens & quaſi tabulis refertum, juxta autem longitudinem, ſtriis ex caeruleo griſeis ſplendidiſſimis latis & longis partim parallelis partim ſeſe decuſſantibus conſpicuum. Partes de apice coni decuſſae meliores ſunt baſin conſtituentibus, hae enim ſunt leviores, ſcorioſae, magis ſulphuratae, minus regulinae. Rejiciatur leve, ſpongioſum, bullis refertum & ſtriis anguſtis & parvis

pror-

prorſusque irregularibus notatum, ac quod pulveriſatum in patella vitrificatoria ſordes & aliorum metallorum veſtigia relinquit, bonum igne fortiſſimo in totum avolat. Interdum pro antimonio accipimus mineras quasdam plumbeas, quae vero diffractae ſpeciem monſtrant foliatam & non ſtriatam, ſolvuntur etiam in aqua forti, & non in aqua regis, quum antimonium genuinum in aqua forti in pulverem album redigitur & in aqua regia ſolvitur.

* *Argentum cupellatum*, Luna, reines Silber, tupellirtes Silber.

□

Metallum nobile, coloris candidi, ſonorum, ductile & in igne fixum; ſimulac ignitur & funditur, vaporibus ſulphureis nigreſcens, pars una argenti cum tribus partibus ſpiritus nitri puriſſimi calida penitus ſolvitur digeſtione. Argentum communiter cupro eſt inquinatum, quod e pharmacopoliis plane exulet. Ad puritatem argenti examinandam, id ad lapidem lydium teritur, quanto albidior evadit ductus, tanto purius argentum, & quanto rubicundior, tanto cuproſius; ſolutio argenti in ſpiritu nitri, ſi minus alba & limpida, ſi tritus ejus ſuper ferro polito candefacto maculam inducit albam vel rubram, ſi fuſio ejus cum nitro & borace his ſalibus colorem communicat, ac ſi affuſum ſpiritum ſalis armoniaci cauſtici colore imbuit caerulco, argentum ut impurum & adulteratum rejiciatur.

Argen-

Argentum foliatum, Blattſilber, Blättchenſilber.

□ ☉

Argentum purum in laminas tenuiſſimas redactum & intra folia papyracea poſitum. Pharmacopolam oportet hoc argentum per digeſtionem in ſpiritu ſalis armoniaci cauſtico examinare, color ſolutionis caeruleus denotat inquinationem cum cupro.

ARSENICUM ALBUM, Arſenicum cryſtallinum,

weißer Arſenik, Mäuſegift, Katzenpulver.

☉

Arſenicum album calcinatum B. Maſſa ſolida, compacta, ponderoſa, albitudinis languidae ſive lacteae, recens ſubpellucida, aëri expoſita ſuperficiem induens farinaceam; odoris nullius, ſaporis primo vix ſenſibilis, poſtea acris pungentis cum dulcedine & corroſivi; fragilis & diffracta intus granuloſa & nitens. Haec calx arſenicalis reguli ex mineris variis arſenicalibus praecipue cobaldinis ſubſecive ſublimatur & per repetitam ſublimationem depuratur; ſub igne ſive carbonibus candentibus fumo albo & odore forti alliaceo in totum evaporat, in octoginta partibus aquae frigidae & in octoginta ſpiritus vini coctione ſolvitur; ſolutio aquoſa evadit limpida & non colorata, per liquorem vini probatorium Hahnemanni ex ſolutionibus aquoſis colore praecipitatur flavo; ſolutionem tincturae laccae coeruleae rubram & ſuccum violarum viridem reddit, aquam calcis vinae turbat & cuprum ammoniacale, ex flavo viride-

ſcens

fcens praecipitat, laminae cupreae candenti immissum avolat, maculam relinquens. Venenorum est atrocissimum.

Aurum foliatum, Blattgold.

□

Aurum purum inter coria ex intestinis confecta in laminas tenuissimas tusum & postea inter chartas fusco rubras positum. Solutio perfecta in aqua regia declarat an purum an adulteratum.

Bismuthum, Marcasita, Stannum cinereum, Wismuth, Aschleg, Marcasit.

Semimetallum ponderosum, durum, antimonii regulo & zinco simile, coloris argentei in rubrum vel flavum vergentis, fragile, scissile, nitens, tinniens, manus inficiens & diffractum latas exhibens stirias sive tessulas. Super igne jam ante ignitionem coeruleo & inflammabili fumo liquescit, in acido vitrioli & salis vix solvitur, at in nitri acido cum effervescentia calida. Reperitur in Germaniae fodinis nativum & varie mineralisatum, sub tostione minerae cobaldinae subsecive per separationem vel peculiari eliquatione obtinetur.

Cerussa in lamellis, cerussa in laminis, Schifera alba, armentum album, Schieferweiß, feines Bleyweiß.

□ ⊙

Calx plumbi aërata Bergm. Frustula testacea, oblonga vel foliata, fragilia, friabilia, ponderosa, nivese albedinis & saporis dulcissimi. *Cerussa* communiter *veneta* dicta & in conis charta caerulea emporetica obvolutis

lutis advecta, creta alba eſt adulterata, ideo ex pharmacopoliis exulanda. Eligatur ponderoſior & albidior. Quae gravitatis minoris & coloris impuri, vel ſubflavi, contaminatione cum creta, vel talco vel bolo alba ſuſpecta eſt; de qua ad ſe certiorem faciendum, ceruſſa cum oleo lini in paſtam redacta, crucibulo vel cochleari candenti immittitur, & plumbum reducitur, ex remanenti maſſa irreducibili patet adulteratio. Comparatur ex fabricis Angliae & Hollandiae.

Cinnabaris factitia, cinnabaris artificialis,
künſtlicher Zinnober.

□

Praeparatum ex mercurio & ſulphure ſolidum, friabile, rubedinis fuſcae, vegetae & ſplendentis, compagis cryſtallinae, inſipidum & inodorum & igni forti totum avolans. Cinnabaris factitia ex Belgio allata & jam in pulverem redacta (Vermillon) depravatione valde eſt ſuſpecta; lex ergo eſto, ne haec cinnabaris jam pulveriſata unquam ad uſum adhibeatur medicinalem, ſed ſolummodo cinnabaris in integris maſſis ex Belgio, Venetiis, Vienna &c. comparata & a pharmacopolis ipſis in pulverem redacta. Cinnabaris interdum cum arſenico depravata eſt, quae inquinatio periculoſiſſima coctione cinnabaris ſuſpectae partis unius cum partibus quinque ſpiritus ſalis acidi, cui nonnullae ſpiritus nitri inſtillatae ſunt guttulae, detegitur, aqua enim deſtillata huic decoctioni adfuſa arſenicum colore albo praecipitat; vapores etiam alliacei hujus cinnabaris carbonibus ignitis in-

inſperſae arſenicalem produnt adulterationem. Plumbo vel minio contaminata cinnabaris, ſi in aceto digeritur, acetum dulcius evadit & reagentia nota plumbi praeſentiam ſignificant, carbonibus inſperſa, rubra ardet flamma, genuina vero optime caerulea. Cum ſanguine draconis mixta cinnabaris ſuper carbonibus reſinoſum ſpargit odorem, genuina vero ſulphureum. Cinnabaris ſuſpecta cum tertia parte cinerum clavellatorum depuratorum mixta & in crucibulo, donec nulli amplius avolent vapores, candefacta, ſi cum minio depravata, plumbum fuſum, ſi cum aliis materiis e. g. lateribus, colcothare vitrioli, maſſa remanet in aqua non ſolvenda. Pharmacopola ſi ipſe cinnabarin elaborare vult, ſequenti uti poteſt praeſcriptione: Rec. ſulphuris citrini libra una; in crucibulo majori & ferreo liquefac, ſulphuri liquefacenti ab igne remoto ſenſim adjice mercurii vivi prius calefacti libras ſeptem, agita maſſam continuo ſpatula ferrea, donec omnis mercurius penitus diſpareat. Sub hac commixtione maſſa ſaepiſſime flammam dat, quae poſt unum vel alterum temperis minutum operculo vaſi impoſito exſtinguenda. Maſſa nigra nondum refrigerata cito teritur in pulverem phialae anguſti colli immittendum, cujus orificium epiſtomio argillaceo leviter clauditur. Ponatur phiala in furno, ita ut fundum cupellae fere attingat, tunc obruitur arena paulo altius quam maſſa eſt ſublimanda, ſubjicitur ignis fortior ſenſim ad ſummum gradum augendus, & etiam finita ſublimatione per aliquot tempus ſuſtinendus. Primo aſcendit paucum phlegmatis, deinde flores albidi, poſtea nigri & tandem

dem cinnabaris, quae omnibus refrigeratis, ab adhaerente nigredine ſeparatur & ſervatur.

Cuprum, aes, Venus, Kupfer.

□

Metallum e variis mineris eductum, varie & praecipue e flavo rubrum, nitens, ductile, malleabile, elaſticum, tinniens, diffractum ſubtiliter granulatum apparens, tritum & calefactum ſaporem odoremque exhibens ſenſibilem. Aëre & aqua rubigine obducitur virideſcente; ab omnibus ſalibus etiam a pinguedine qualibet & ab oleis arroditur colore inprimis viridi & caeruleo. Poſt ignitionem funditur & ardet tunc flamma caerulea virideſcente. Ex qualibet ſolutione cuprum per ſpiritum ſalis armoniaci volatilem, accedente aëre, colore praecipitatur glauco & praecipitatum per majorem ſpiritus dicti affuſam quantitatem colore iterum ſolvitur caeruleo.

Ferrum, Mars, Eiſen.

□ ⊙

Solidum metallum, compactum, tinniens, extus e glauco nigrum & intus vel diffractum e griſeo album & nitens. In igne difficile liqueſcit, in aëre humido & in aqua rubigine inficitur e fuſco rubeſcente. Solvitur in aceto vini, rubeſcente, & in acido vitrioli diluto, virideſcente colore. Ferrum ex ſolutionibus acidis per alcali phlogiſticatum ſive lixivium ſanguinis caeruleo & per tincturam gallarum nigro praecipitatur colore.

Distinguitur ab omnibus metallis quod a magnete attrahitur. Pharmacopolae utuntur *ferro limato* sive *limatura ferri*, Eisenfeilspäne, quae vero a pharmaceuticis ipsis limanda, ab artificibus enim vel operariis comparata martis limatura ut plurimum aurichalco vel cupro vitiata est, & electio per magnetem insecura, magnes enim ramenta etiam attrahit cupreis vel aliis metallicis unita particulis; limaturae martis adulteratio cum cupro vel aurichalco detegitur per digestionem in vase aperto cum spiritu salis armoniaci caustico per viginti horas, spiritus color caeruleus depravationem indicat dictam, sic & limatura martis cupro inquinata in spiritu salis soluta ferrum politum solutioni immissum cupreo imbuit colore. Ne rubiginem ducat limatura martis vitris servetur obturatis.

Lapis calaminaris, Cadmia fossilis, Gallmey-stein, Gallmey.

□ ☉

Zincum terrestre L. Zincum lapis calaminaris W. Calx zincea vel friabilis vel lapidea, ponderosa, coloris vel e luteo cinerei, vel lutei vel e flavo fusci vel e rubro fusci. Eligatur e luteo cinereus, durus, compactus, aequalis vel cellulosae compagis. Circa Aquisgranum necnon in Anglia & Polonia e terra effoditur. Saepissime in officinis praesto est jam a particulis heterogeneis separatus & per tostionem a sulphure & forsan arsenico depuratus, ergo admodum friabilis & facillime in pulverem redigendus, sic ex officinis Goslarienfibus adfertur.

Lithar-

Lithargyrium, Lithargyrus, Silberglätte, Bleyglätte.

□ ⊙

Plumbum semivitrificatum inter varias metallurgicas operationes v. c. inter purificationem argenti a plumbo, subsecive obtentum, squamosum, impurum, tenax, ad tactum pingue & dives floccorum vel bracteorum nitentium albarum, flavarum vel rubellarum. Lithargyrium bracteis albis *lithargyrium argenti* vel *Argiritis*, bracteis flavis, *lithargyrium auri* vel Chrysitis vocatur; discrimen nulla attentione dignum & solummodo ab ignis gradu exortum. Lithargyrium, cujus solutio in spiritu salis armoniaci caustico caerulescit, cupro contaminatum est & ergo rejiciendum.

Magnesia nigra, magnesia vitriariorum, fideres, Braunstein.

□

Molybdaenum magnesia L. Magnesia fuliginosa W. Calx nativa semimetalli Magnesium dicti, compagis acuformis vel radiosi, fragilis, nitens, coloris e cinereo nigri, vel obscure rubri, manus inquinans. In acido vitrioli & nitri phlogisticato & in acido citri in totum & fine colore, in acido autem salis rubro colore solvitur, igne fortissimo ad vitrum fuscum funditur. Eligatur coloris nigri vel obscure fusci. Comparatur ex Thuringia, Hercynia & Saxonia.

Mercurius vivus, Hydrargyrum, Mercurius currens, Argentum vivum, Queckſilber, lebendiges Queckſilber.

☐ ☉

Hydrargyrum L. & W. Metallum in noſtrae atmoſpherae temperatura fuſum ſive liqueſcens, digitos non madefaciens, leviſſime preſſum in globulos multos ac parvos diſſilens, coloris ſplendidi argentei, impellucidum, valde ponderoſum & in igne mediocri totum evaporans. Vel nativum, quod vocatur *virgineum*, in terris, lapidibus vel mineris hydrargyrum reperitur, vel arte ex ſuis mineris educitur. Purus & adulterationis non ſuſpectus mercurius, facillime globulis exacte rotundis leviſſime iterum coëuntibus currens in charta vel diſco porcellaneo, & in curſu nil relinquens impuri, lucido ſplendens, aquam deſtillatam, quacum teritur, non inquinans, acetum minime dulcificans vel plumbeis particulis per reagentia detegendis minime imbuens, per corium expreſſum fere nihil impuri ſive purulenti relinquens, & in cochleari ferreo ſuper carbones ignitos non decrepitans & totus avolans, pro uſu medico eligendus; & quum in hac qualitate perfecta a magnariis minime divenditur, in pharmacopoliis methodo P. II. praeſcripta depurandus. Cujus ſuperficies non nitet, ſed languida & quaſi membranula obducta apparet, tardius & globulis quaſi caudatis currens, nigra vel cinerea veſtigia relinquens & manus inquinans, adulteratus eſt & ſine exacta praevia depuratione minime adhibendus. Mercurius ſuſpectus ſi in cochleari ferreo deflagratur, maſſa reſidua denotat & declarat depravationem. Sapor dulcis

cis aceti cum mercurio digesti & color obscurus si liquor vini probatorius Hahn. admiscetur, denotat depravationem cum plumbo; acidum nitri mercurio affusum stannum commistum in calcem albam corrodit; bismutho inquinatus in aqua fortis pura solutus mercurius, adfusa aqua destillata albo praecipitatur colore, quod praecipitatum calx est bismuthi. Ex Hungaria, Hispania, India orientali, & Palatinatu obtinetur.

MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER.

Mercurius corrosivus ruber; Mercurius calcinatus; Mercurius nitratus ruber.

Rother Queckſilberniederſchlag, rother Präcipitat.

⊙

Calx mercurii nitrata, splendidis vegete rubicundis minutissimis squamulis conspicua, qui tractu temporis & radiis solis expositi fuscum induunt colorem, odoris nullius & saporis vix sensibilis. In aqua fortis cum aestu sed sine effervescentia solvitur, plane vero non in aceto vini. Communiter ex Hollandia hanc calcem sibi comparant pharmacopolae nostrates, cum praeparatio ipsius in minori quantitate saepe non succedit. Rejiciatur mercurius praecipitatus ruber qui sapore praeditus est metallico & corrosivo tanquam minus rite elaboratus. Saepe cum minio vel cinnabari est depravatus; adulteratio cum minio detegitur per adspectum minus nitentem & per reductionem, si cum cera intime mixtus ante tubum ferruminatorium in carbone, vel cum pulvere carbonum in crucibulo ignito granum plumbeum relinquit; cinnabari-

na contaminatio in toſtione ſuſpecti mercurii praecipitati rubri ſuper lapidem ferviduin per vaporem denotatur ſulphureum; cum cinnabari mixtus etiam in ſpiritu nitri non penitus ſolvitur. Sequenti methodo elaborari poteſt mercurius praecipitatus ruber. Rec. mercurii vivi depurati unciae quatuor, aquae fortis unciae octo, ingerantur phialae vitreae balneo arenae immiſſae & coquantur ad ſiccitatem; quo facto maſſa eximitur, crucibulo terreo vitreato committitur & ſub continua agitatione ſpathulae ligneae forti igne calcinatur, donec maſſa colorem induerit pulcherrime rubrum & ſplendentem, tunc crucibulum ſtatim ab igne removetur, alias color depravatus evadit.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS. Mercurius corroſivus albus; Hydrargyrus muriatus.

Aetzender Queckſilberſublimat.

⊙

Hydrargyrum Salitum vel Muriaticum hydrargyratum B. Sal mercuriale ſalitum, ſublimatione paratum, cryſtallinae compagis ex ſpicis parallelis formatae, coloris albi, ſpleudens & ſolidum, diffractum radioſum vel ſpicatum apparens, odoris nullius, ſaporis maxime corrodentis, in aqua frigida ut 1: 16 in ſpiritu vini ut 2: 5 ſolubile. Tincturam laccae caeruleae rubram reddit, e ſolutionibus per aquam calcis vivae colore e rubro flavo, per ſpiritum ſalis armoniaci cauſticum colore e fuſco rubicundo, per ſal alcali volatile albo, interdum cinereo, praecipitatur colore. A pharmaco-

macopolis noſtratibus raro elaboratur ſed ex Hollandia vel Venetia comparatur. Rejiciendus mercurius ſublimatus corroſivus qui diffractus granuloſus apparet, & quum peregrinus arſenico vitiatus dicitur, ſedulo omnis examinandus. Ad detegendam hanc periculoſiſſimam adulterationem juvat odor alliaceus ſublimati corroſivi prunis inſperſi, ſolutio ipſius in ſpiritu ſalis armoniaci cauſtico floccoſa & viridis, & color niger vel griſeus vel flavus mox evaneſcens & minime duas horas perdurans triti mercurii ſublimati corroſivi cum oleo tartari per deliquium ſive cum ſolutione cinerum clavellatorum depuratorum ſaturata. Ex ſolutione mercurius ſublimatus corroſivus, per aquam aëris hepatici ſive per liquorem vini probatorium Hahnemanni, ſi arſenico depravatus eſt, non albo ſed aurantio colore praecipitatur. Solutio mercurii ſublimati aquoſa per ſpiritum ſalis armoniaci cauſtici praecipitata & poſthac filtrata, ſi cum cupro ammoniacali liquido caerulea & pellucida manet, mercurium ſublimatum denotat purum, ſi vero praecipitatum excoritur ex flavo virideſcens & ſuper prunis odorem ſpargens alliaceum, cum arſenico depravatum. Si miſcela ex mercurii ſublimati corroſivi & cinerum clavellatorum depuratorum partibus anaticis & pulvere carbonum cupro liqueſcenti immiſſa, colorem cupri non mutat mercurii ſublimati puritas denotatur. Sequenti methodo praeparari poteſt mercurius ſublimatus corroſivus: Rec. mercurii vivi libram ſemiſſem, ſuperinfunde in cucurbita vitrea in balneo arenae ſub fumario collocata, olei vitrioli fortis libram ſemiſſem & evapora miſcelam ad ſiccitatem,

quam pulverisatam in mortario vitreo misce cum salis communis decrepitati libra una, quae miscela ex cucurbita ad tertiam partem tantum repleta, igne fensim aucto sublimatur. Massa crystallina alba ad superiora cucurbitae haerens a scoriis purgata servetur. Si massa non satis crystallina, salis communis tantillo addito denuo sublimatur, donec crystallina & pura evadat.

Minium, minium rubrum, **Mennig, rother Mennig.**

□

Plumbum ad rubedinem calcinatum. Pulvis valde ponderosus ex squamulis minutissimis, subtilissimisque nitidis consistens, coloris vegete rubri sammetini, nonnihil in flavedinem vergentis, praecipue si teritur. Eligatur minium subtilissimum, digito in charta alba tritum flavescens; recens quod trituratione cum sale armoniaco odorem salis armoniaci caustici spargit, & cum pinguedine mixtum in cochleari candente facile in plumbum reducibile. Rejiciatur bolo rubro, vel colcothare vitrioli vel pulvere laterum adulteratum, reductione supra dicta & etiam coctione in aceto ubi solum solvitur minium & jam rubore depravato cognoscendum. Cum ochra rubra vitiatum detegitur solutione in aqua regis, quum solutio vitiati filtrata cum tinctura gallarum nigrescit & cum lixivio sanguinis caeruleſcit. Paratur in Anglia & in Germania prope Norimbergam in officinis miniariis.

Stannum

Stannum purum, Jupiter, reines Zinn.

□ ⊙

Molle, leve, flexile, ductile, fecabile & ante ignitionem fufibile metallum coloris argentei, fed caerulefcentis, ex mineris elicitum variis; dum fricatur vel incalefcit odorem fpargit peculiarem quodammodo alliaceum & ftridet dum flectitur vel inter dentes premitur. In aëre & aqua fplendorem amittit & quafi canefcit. Puriffimum & optimum ex India orientali adfertur *Malaccenfe* vel *Brancax* vocatum, illud in glebis forma pileorum Jefuiticorum & circiter librae unius gravibus, hoc in cylindriacis maffis ponderis circiter femicentenarii. Stannum *Anglicum* five *Cornwallienfe* a mercatoribus magnariis in majoribus maffis quadrangulis comparatum ab ipfis ad venditionem faciliorem reddendam fundendo in minores maffas trilaterales mutatur. Stannum communiter plumbo vitiatur; pharmacopolae ergo fibi ftannum comparare debent Indicum vel tamen Anglicum nec unquam a ftannariis emere. Ex ftridore & levitate majori concluditur puritas major. Ad explorandam ftanni puritatem, ftanni partes duae fenfim partibus quinque aquae fortis (cum partibus tribus aquae deftillatae diluti fpiritus nitri fumantis) immittantur & ad pleniffimam ftanni folutionem five calcinationem digerantur, tunc folutio fenfim evaporetur, poftea cum multa aqua affufa iterum ferme exficcetur & denique cum magna aqua quantitate excoquatur & edulcoretur, ex qua lotura leni igne cryftalliſata, ſi ſtannum fuerit plumbeum accipimus plum-

bum nitratum, cum pinguedine aut pulvere carbonum facile in metallum ipſum reducibile.

Zincum orientale, orientaliſcher Zink, Spiauter, Tomerſait.

□

E mineris variis eductum ſemimetallum, ſemitractabile & malleabile, coloris ex albo caerulei, diffractum ex teſſularum fiſſilium ſegmentis vel ex pyramidibus planis apparet aggregatum. Ante ignitionem funditur & in igne fortiori flamma flaveſcente viridi, fumoque albo nonnihil alliaceo flagrat; ſolvitur in acidis & in aceto narciſſorum odore, limaturam ejus lima ferrea factam magnes attrahit. Zincum accedente aëre praecipitat omnia metalla ex ſolutionibus acidis. Rejiciatur zincum Goslarienſe nullos ſargiens flores albos ſed gilvos, ex eo dignoſcendum quod minime ex teſſulis vel pyramidibus planis ſed potius ex fibris aggregatum eſt.

IV. Salia ſimplicia & compoſita.

Alumen vulgare, alumen crudum, Alaun, roher Alaun.

□ ⊙

Argilla vitriolata B. Sal medium terreum ex terra argillacea, etiam aluminoſa dicta & acidi vitriolici majori quantitate compoſitum, in Italia, Anglia, Suecia & Germania vel propriis mineris praecipue e Schiſto aluminari eductum, vel arte paratum. Praeſto eſt in majo-

majoribus maſſis communiter ex cryſtallis octoëdris formatis, ſaporis dulcis admodum conſtringentis ſive ſtyptici, nonnihil nauſeoſi, coloris albi, & aliquantulum pellucidi. Sub igne intumeſcit, pelluciditatem amittit & in maſſam vertitur albam, ſpongioſam & majori acredine praeditam, in pharmacopoliis ſub nomine *aluminis uſti* paratam. In aquae triginta quatuor partibus penitus ſolubile, minime in ſpiritu vini, a quo ex ſolutione aquoſa etiam praecipitatur. Cryſtalli aluminis aëri expoſiti in ſuperficie farineſcunt. Alumen vulgare olim nomen habuit *alumen album*, ſive *glaciale* & ab oppido Syriae Rocho vel Recca, quod Europaeos primo methodum alumen parandi docuit, *alumen rochae* vel *rochum* & per errorem *alumen rupeum*. Rejiciatur alumen flavum & impurum ob admixtas particulas ferreas vel cupreas; ferreae per inſtillatam tincturam gallarum in ſolutionem aluminoſam nigro colore praecipitantur & cupreae inſtillatione ſpiritus ſalis armoniaci cauſtici caeruleſcunt. *Alumen romanum* ſive *rubrum*, quod a variis praeſertur, extus rubella terra apparet mixtum verosimile martiali. In Anglia paratum advehitur in ſolidis, puris, ſplendidis cryſtallis magnitudine nucum; quod in Germania producitur magnis ferme difformibus conſpicuum eſt cryſtallis in ſuperficie ſaepius pulvere conſperſis, intus vero vitreis. *Alumen Gravenhorſtianum* ſive *Brunſuicenſe*, pellucidum, roſei coloris & in aëre non farineſcens, facilius quidem ſolvitur ſed difficilius funditur vulgari, in igne fortiori in maſſam evadit virideſcentem; quum artefactum, arcanum & verosimile ex cobaltinis particulis rubellum, pro uſu medico interno non adhibendum.

Arca-

Arcanum duplicatum, Sal de duobus, tartarus vitriolatus, Kali vitriolatum, Alcali fixum vegetabile vitriolatum, Doppelſalz.

□ ⊙

Alcali vegetabile vitriolatum B. Sal neutrum e ſale alcali vegetabili fixo & acido vitrioli compoſitum & communiter ex reſiduo poſt deſtillationem acidi nitri fumantis paratum. Cryſtallos proprie format priſmaticos interdum ſexlaterales ſemper vero forma pyramidali acuminatos, albos, ſolidos, ſaporis amaricantis, ſubnauſeoſi. Communiter quod divenditur cryſtallos habet irregulares inter ſe cohaerentes. In aëre invariabile, in ſedecim partibus aquae ſolubile, in igne crepitans & ſolummodo in auctiori poſt ignitionem in maſſam impellucidam & friabilem fuſibile. Accuratiſſime paratur methodo Part. II ſub tartari vitriolati nomine praeſcripta; ſubſecive in depuratione cinerum clavellatorum, & in paranda magneſia alba cum alcali vegetabili obtinetur, ſal polychreſtum Glaſeri Part. II praeſcriptum proprie etiam eſt tartarus vitriolatus. Eligatur quod divenditur bene cryſtalliſatum nec tincturam fernambucinam, nec laccae caeruleae alterans, & piſi magitudinis, ac cujus ſolutio aquoſa ab inſtillato ſale alcalino vegetabili fixo minime praecipitatur. Si ſolutio cum tinctura gallarum nigreſcit vel caneſcit, ferreis, & ſi ab inſtillatione ſpiritus ſalis armoniaci cauſtici caeruleſcit, cupreis particulis vitiatum eſt arcanum duplicatum. Rejiciatur pulverulentum & coloris rubelli. Vendibile communiter cupro eſt vitiatum quod ex affuſione ſalis alcali volatilis cauſtici dignoſci-

gnoſcitur, ſaepiſſime ergo pro uſu interno depuratione indiget Part. II praeſcripta.

Borax, Borax veneta, Borax, venetianiſcher Borax.

□ ⊙

Alcali minerale boraxatum. Sal neutrum imperfectum ex alcali minerali & acido Boracis (ſale ſedativo Hombergi) ita compoſitum ut alcali praedominet. Format cryſtallos ſexlateros columnares, majores, ſolidos, ſemipellucidos, nitentes, coloris albi, ſaporis primo dulcis deinde vero amaricantis, ſubacris alcalini; boracis communiter vendibilis cryſtalli ſaepiſſime ſunt irregulares. In aëre farineſcit, in duodecim partibus aquae ſolvitur, in igne intumeſcit & in auctiori facile funditur in maſſam vitream in aqua ſolubilem. Cum acidis non effervеſcit, ſuccum vegetabilium caeruleum in viridem mutat & ſalia metallica ac terrea praecipitat. Solutio boracis aquoſa cum oleis unguinoſis cocta miſcelam generat ſaponaceam. Eligatur albiſſima leviſſima, facile in igne fluens & bene cryſtalliſata. Depravatio boracis cum alumine ſapore dignoſcitur ſtyptico & liquefactione difficiliori, inprimis praecipitatione terrae aluminoſae ex ſolutione boracis per inſtillitationem lixivii tartari; cum ſale gemmae inquinatio, crepitatione ſuper igne & eroceo odore acidi ſalis, ſub adfuſione acidi vitriolici ſe manifeſtante. Ex Hollandia adportatur, ubi ex borace Tincal, & borax cruda nativa, chryſocolla, Borech, Ponnra dicta, ex India orientali advecta purior redditur.

Nitrum

Nitrum vulgare, nitrum commune, nitrum prismaticum, Salpeter, Saliter.

□ ⊙

Alcali vegetabile nitratum B. Sal neutrum, ex acido nitri & sale alcali vegetabili exortum, crystallos formans prismaticos, sexangulares oblique truncatos, majores, limpidos, nitentes & semipellucidos. Saporis acris amaricantis cum eximio frigoris sensu, coloris albi, & in aëre invariabiles, in septem aquae partibus solubiles, in igne aperto scintillantes & deflagrantes, in clauso vero liquescentes, si vero cum inflammabili quodam v. c. pulvere carbonum mixti sunt, super igne detonantes, & metallis candentibus si adduntur, ea calcinantes. Eligatur nitrum purum, siccum, bene crystallisatum, in aqua solubilius, super prunis non decrepitans, & cum inflammabilibus mixtum cum strepitu majori deflagrans, nec in aëre farinescens. Adulteratio cum longe crystallisato sali mirabile, facile per saporem amarum vix acrem & per defectum detonationis proditur. Si ex solutione nitri aquosa instillatio argenti in spiritu nitri soluti pulverem praecipitat album nitrum cum acido salis inquinatum est; frequentissime in Germania peculiari ratione ex terris principiis nitrosis varia praeparatione impraegnatis extrahitur & postea purius redditur; magna ejus copia etiam ex India orientali advehitur.

Oleum

Oleum vitrioli, acidum vitrioli concentratum, acidum sulphuris, Vitriolöl, Vitriolsäure, Schwefelsäure.

□ ⊙

Acidum minerale fluidum consistentiae oleosae, ponderosissimum, saporis etiam aqua multa dilutum acidi styptici; si purissimum, valde concentratum & ab aqua liberatum, coloris & odoris nullius; facile vero a quolibet corpore inflammabili colorem accipit flavum, brunum, ruffum & nigrum, odoremque sulphureum. Oleum vitrioli aquae frigidae, spiritui vini & aliis similibus fluidis instillatum excitat multum fibili & caloris; vegetabilea & animales substantias mox destruit & in carbonem mutat; maxima conspicuum est affinitate cum terra ponderosa, eaque ex aliis conjunctionibus separari potest. Olea unguinosa & essentialia nigra & solidiora reddit, prunis inspersum vaporem excitat sulphurum, alia acida salinis corporibus & terreis inhaerentia cum fumo expellit, sali communi vel sali armoniaco instillatum, effervescentiam & crassum, album, suffocativum foetorem gignit. Aëri expositum oleum vitrioli aquam avidissime imbibit & exinde volumine & pondere aucto debilitatur; in frigore 30° Fahr. congelatur; solutionem cretae in allo acido, argenti & mercurii in aqua forti, & plumbi vel in aceto vel in aqua soluti acidum vitriolicum turbidum vel lacteum reddit cum sedimento albido. Inprimis Nordhusae, Altonaviae & Cassellis e vitriolo paratur viridi, ex sulphure autem praecipue in Anglia, in Helvetia & passim etiam in Germania. Oleum ex vitriolo viridi expulsum sive *Nordhusanum* communiter colo-

coloris eſt ſaturate bruni vel nigri, odoris ſulphurei & accedente aëre fumat, *oleum* ergo *vitrioli fumans*, nuncupatur. *Oleum vitrioli glaciale* eſt concentratiſſimum nec fluidum ſed niveae conſiſtentiae, nec fumans & fundum petit, qua ratione ab oleo vitrioli congelato ſubinde pro glaciali vendibili diſcernendum, etiam Nordhuſae paratur. *Oleum vitrioli anglicum* ex ſulphure paratum, communiter Norhuſano debilius eſt, & minime fumans, praeterea ſaepiſſime plumbeo ſedimento & aliis reliquiis ſalinis vitiatum deprenditur. Eligatur ex vitriolo viridi eductum communiter oleum vitrioli fumans vocatum, ponderoſius, ita ut vitrum cujus cavitas ſedecim uncias aquae deſtillatae communis capit, ſaltem novem & viginti uncias dicti olei recipere poſſit, maxime cum aqua incaleſcens, in frigore modico jam cryſtallos largiens ſpiculatos, & linteum immiſſum protinus corrodens. Ut oleum vitrioli anglicum plumbo, ſic Nordhuſanum ſaepe ferro & cupro inquinatum eſt. Si acidum vitriolicum cum aqua deſtillata diluitur & cum alcali vegetabili fixo ſaturatur, ferrum, cuprum & plumbum quocum contaminatum erat, praecipitatur; praecipitato edulcorato & exſiccato, ſi affuſus ſpiritus ſalis armoniaci cauſtici caeruleſcit cupro contaminatum eſt acidum vitrioli; ſi item praecipitatum in acido ſalis ſolutum cum aqua aëris hepatici nigreſcit, plumbo, ac cum fluido quod praecipitato ſupernatat, ſi tinctura gallarum nigreſcit & ferro inquinatum eſt oleum vitrioli. Omne oleum vitrioli ſervetur in lagenis vitreis, epiſtomio vitreo, & veſica optime clauſis.

Saccha-

Saccharum ſaturni, Ceruſſa acetata, Sal plumbi, Bleyzucker, Bleyſalz.

☉

Plumbum acetatum B. Sal medium metallicum ex calcinato plumbo & acido aceti cryſtalliſatum. Praeſto eſt in maſſis cryſtallinis ex cryſtallis parvis quadrilateris columnaribus, & inſtar acuum aggregatis, nitentibus, ponderoſis, ſemipellucidis, coloris languide albi, ſaporis penetrantis dulcis & conſtringentis, in aequalibus aquae partibus ac etiam in ſpiritu vini ſolubilibus, in aëre farineſcentibus. Eligatur album, bene cryſtalliſatum & minime pulverulentum. Rejiciendum tractu temporis & ſitu corruptum, colore flaveſcente ac depoſita ceruſſa dignoſcendum, nec non ſolutione aquoſa, ubi in fundo copia remanens ceruſſae flaveſcentis gradum determinat depravationis. Contaminatio cum plumbo nitrato, jam albedine laetiori, ſolubilitate minori & pelluciditate majori hallucinanda, detegitur detonatione nitri ſaturnini in catello ignito & vapore nitri ab oleo vitrioli affuſo. Paratur ſaccharum ſaturni in Anglia & Hollandia & in capſis advehitur.

Sal armoniacum, ſal ammoniacum vulgare, Salmiak.

□ ☉

Alcali volatile ſalitum B. Sal neutrum ex acido ſalis & alcali volatili conflatum, in cryſtallos abiens parvos, ſexlateros, pyramidales, communiter invicem concretos exinde ſpeciem pennatam induentes, in tripla aquae parte ſolubiles, in aëre invariabiles, ſuper igne

forti penitus avolantes ſive ſublimandos, aꝯ ſi cum alcali fixo ſive terra calcarea, inprimis pauxillo aquae admixto, teruntur, odorem ſalis volatilis ſpargentes, coloris albi, ſaporis acris pungentis. Sal ammoniacum ſi in aqua ſolvitur, frigorem gignit, ſi prunis inſpergitur, flammam colore ex caeruleo viridescente imbuit. Contaminatio ſalis armoniaci cum acido vitriolico detegitur praecipitatione ex ſolutione ipſius in aqua deſtillata per inſtillatam ſolutionem plumbi acidam. Olim ſolummodo ex Aegypto, fimi camelini ex fuligine paratum, in placentis globoſis, uno latere convexis altero concavis ad nos allatum fuit, quorum latus convexum impurum & fuliginoſum apparet; hocce ſal armoniacum Aegyptiacum ob impuritates admixtas & neceſſariam exinde depurationem hodie ex officinis exulatur & eligendum ſal armoniacum Magdeburgenſe vel Brunſuicenſe. *Magdeburgenſe* praefertur, in tranſparentibus albis & puriſſimis placentis vendibile. Brunſuicenſe ſive Gravenhorſtianum nivea albedine, impelluciditate & fruſtis non exacte ſolidis cryſtalliſatione paratis, magnitudine metae ſaccharinae minoris dignoſcendum.

Sal anglicanum, ſal amarum catharticum, ſal Ebshamenſe, ſal epſonienſe, Bitterſalz, Engliſches Salz, Purgierſalz, Ebſomer Salz.

□ ⊙

Magneſia vitriolata B. Sal medium ex terra amara, ſive magneſia & acido vitriolico conflatum, natura in variis aquis foteriis, praecipue in Ebshamenſibus

&

& Seidlicenſibus, in rimis rupium alpinarum &c. & arte ex muria ſalis marini progenitum. In cryſtallos abit quadrilateros columnares cum bilateris extremis, ſuperficie laterali glabra & minime ſtriata; in aquae quantitate ſeſquialtera penitus ſolubiles minime vero in ſpiritu vini, in aëre invariabiles, coloris albi & ſaporis amari; in igne primo intumeſcunt, poſtea ſiccantur, tandem funduntur. Plerumque quod ad nos venit factitium eſt, ex cryſtallis albis, parvis, acuformibus conſiſtens, & ob inhaerens adhuc ſal alienum, inprimis magneſiam ſalitam, in aëre humidum evadens. Sal Anglicum quod in aëre fatiſcit ſali mirabili vitiatum creditur. Saepe pro ſale amaro divenditur ſal mirabile in cryſtallos minores per agitationem lixivii coactum, quae fraus vero facile per inſtillationem aquae calcis vivae, vel cujusdam ſalis alcalini ſoluti dignoſcitur, haec inſtillatio enim ex ſolutione ſalis Anglici genuini magneſiam albam, ex ſoluto vero ſale mirabili ne minimum quidem praecipitat. Eligatur quod in aqua ſolutum & ad cryſtalliſationem evaporatum cryſtallos format ſupra deſcriptos.

Sal commune, ſal culinare, ſal vulgare, ſal fontanum, muria, ſal muriaticus, Kochſalz, Küchenſalz, Salz.

□ ⊙

Alcali minerale ſalitum B. Sal neutrum ex conjunctione acidi ſalis & alcali mineralis ortum & ex fontibus ſalinis evaporatione acquiſitum, cryſtallos format partim cubicos, partim infundibulo molari ſimiles, in aëre invariabiles, in tripla aquae quantitate ſolubiles, coloris albi, ſaporis

peculiaris falsi, & in igne cum crepitatione diffilientes. Eligatur solidum, candidum, pellucidum, optime crystallisatum, aëre non humescens, in aqua mox & penitus solubile, eamque nullo imbuens colore, super igne in crucibulo candenti vehementer decrepitans albedinemque servans & sapore praeditum salso penetranti. Alcali minerale salitum in Anglia, Russia, Hungaria & Polonia e terra effossum, *sal gemmae* sive *fossile* & ex aqua marina in Britannia, Hispania &c. extractum, *sal marinum* vel *Hispanum* vocatur.

Sal mirabile, sal mirabile Glauberi, sal catharticus Glauberi, natrum vitriolatum, soda vitriolata, Wunderſalz, Glauberſalz, Braunſchweigiſches Salz.

□ ⊙

Alcali minerale vitriolatum B. Sal neutrum e sali alcali minerali & acido vitriolico compositum. Crystalli majores prismatici, sex inaequalibus lateribus & bilateris extremis conspicui, albi, semipellucidi, saporis initio refrigerantis postea amari. Sal mirabile in aëre farinescit & in pulverem dilabitur, solvitur in tripla quantitate aquae, super igne facile liquescit, fortiori induratur, & fortissimo denique funditur. Natura nobis praebet quidem hoc sal & ex aquis variis foteriis v. c. Carolinis, sal thermarum Caroli V dictum, educitur, quo autem in officinis utimur, arte producitur, ubi *sal mirabile Brunsuicense* sive *Gravenhorstianum* praefertur; (etiam Cassellis hoc sal optime paratur) subsecive obtinetur in destillatione acidi salis & ex muria salis communis

Si Solutio salis communis ab insolubili Salis alcali in aqua. Turbatur
et subsidit. Sal alcalinum inquinatum est terra calcarea. Bergmann Opera

munis elicitur. Rejiciendam tincturam ligni fernambuci & tincturam laccae caeruleae decolorans, aquam calcis vivae turbidam reddens, & cujus solutio ab alcali fixo instillato turbatur vel praecipitatur. Sale culinari vel acido salis inquinatum decrepitatione super igne, & praecipitato albo per instillationem solutionis argenti in spiritu nitri in solutionem salis mirabilis, nitrum vero casu admixtum detonatione super igne dignoscitur. Notetur sapor salis mirabilis in pulverem dilapsi magis calidus quam refrigerans, & major vix laxativa, ita ut dimidium vel duas tertias dosis pulverulenti, dosi consuetae crystallisati respondeant.

Spiritus nitri fumans, acidum nitri concentratissimum. Spiritus nitri flammans Glauberi, acidum nitrosum. Rauchender Salpetergeist, rauchende Salpetersäure.

☉ □

Acidum minerale ex nitro per acidum vitrioli expulsum, fluidum, ac si concentratissimum & purissimum, coloris quidem aquei, communiter vero rubri & tractu temporis virides centis vel fusci, confestim vapores emittens rubros, qui etiam superius vitri vacuum replent & suffocantes, peculiari odore praeditos, aquae vel spiritui vini instillatum strepitum & calorem excitans. Aquam ex aëre attrahit eaque debilitatur & saepe virides cit. Cum quarta parte aquae mixtum colorem dat viridem, cum aequali caeruleum. Animales substantias v. c. ossa, lanam, sericum, colore imbuit flavo. Olea aetherea multa & unguinosa incrassat & in resinae genus mutat cum odore moschatino coloreque bruno, cum oleis essentia-

libus caryophillorum, ligni saſſafras, petroſelini, ſic & terebinthinae & ſuccini flammam concipit. Metalla odore & vapore nitroſo ſolvit vel calcinat. Cum ſalibus alcalinis, terris & metallis ſalia neutra vel media fingit cum inflammabilibus detonantia. Camphoram in oleum fundit ipſi ſupernatans. Saepiſſime ſpiritus nitri fumans acido vitriolico vel acido ſalis contaminatum eſt; acidi vitrioli admixtio per turbationem & ſedimentum album ex inſtillata ſolutione ſacchari ſaturni in aqua deſtillata proditur & contaminatio cum acido ſalis eodem modo ex inſtillatione ſolutionis argenti in ſpiritu nitri. Spiritus nitri fumans ſic depravatus depuratione indiget Part. II praeſcripta. Acidum nitri fumans in vaſi vitreo epiſtomio vitreo & cera cum veſica cuſtodito ſervandum ſequenti poteſt parari modo. Rec. nitri vulgaris exſiccati & pulveriſati libras duas, immittantur retortae vitreae tubulatae capaciori, inſtilletur ſenſim ſenſimque olei vitrioli fumantis libra una, ſed caveatur ne vapores acerrimi e nitro aſſurgentes in pulmones proveniunt & applicato excipulo ſatis magno junĉturisque vaſorum optime clauſis, protinus deſtillatio ex balneo arenae & igne moderato inſtituatur, vapores excipulum primo implentes ſaturate rubri, denique in acidum liquidum aeque rubrum coibunt; peraĉta deſtillatione & ſeparato excipulo, ſpiritus fumoſus per infundibulum ſub camino in vitrum ſiccum, purum, anguſti colli & oris infundatur & rite ſervetur.

Spiritus

Vid. Hellmont. Apothekerlexicon.

Odor arcanae acidi salis Johannis de Rupescissa particularis terrain inquinato valetne? Ab. Lit. Zeit. N 130 p 203

Spiritus salis fumans, acidum salis concentratum, acidum muriaticum, spiritus salis Glauberianus.
Rauchender Salzgeist, rauchende Salzsäure.

Acidum minerale fluidum acido vitrioli ex matrice sua expulsum; si concentratissimum ac purissimum coloris nullius, communiter vero flavescentis, odoris fortis peculiaris quodammodo crocei & saporis singularis, aëri expositum calidiori vapores emittens elasticos, crassos & albos vel cinereos, valde suffocantes. Aëri expositum nil fluidi attrahit sed potius plenarie avolat; substantias animales & vegetabiles nec in carbones redigit, nec colore flavo imbuit, sed macerat & corrodit. Cum acido nitri mixtum aurum solvit; terris alcalinis v. c. calci vivae, cretae, deliquentiae statum conciliat. Maximam affinitatem habet cum argento per quod ab omnibus combinationibus separari potest, productum ex conjunctione acidi muriatici cum argento genitum, in igne in corneam funditur massam & luna cornua vocatur. Interdum cum acido vitriolico contaminatum, quod dignoscitur, si admixtio sacchari saturni in aqua destillata spiritum salis albide turbidum reddit & sedimentum ex illo praecipitat album; etiam particulis ferreis inquinatum divenditur, quod proditur si antea sale alcalino vegetabili saturatum acidum salis, a tinctura gallarum affusa, colore imbuitur nigrescente. Cum cupro adulterationem denotat color caeruleus ex admixto spiritu salis ammoniaci caustico. Methodus spiritum salis concentratum parandi sequens tradetur: Rec. Salis communis probe exsiccati & pulverisati libras duas, immittantur re-

tortae vitreae, melius terreae, tubulatae cautionis causa cum operculo mobili, instilletur pedetentim acidi vitrioli concentrati libra una cum aquae communis coctae unciis viginti successive diluti, adaptetur, quod antea melius fit, excipulum magnum commissuris probe lutatis & ex balneo arenae igne primo leniſſimo postea gradatim augendo instituatur destillatio, donec nulli amplius vapores in excipulum transeant. Quod in retorta residuum est, calcinetur & sextupla aquae quantitate solvatur tunc crystallisando largitur salem mirabilem.

Quod a sepiariis divenditur spiritus salis, mediante argilla destillatur & fere semper ferro, cupro & acido vitriolico inquinatus est, praeter ea nimis debilis. Casselliis a *Fiedlero* paratum acidum salis fumans bonae notae est.

Viride aëris, aerugo, Grünſpan, Spangrün, Spaniſchgrün.

□ ⊙

Cuprum acetatum B. Proprie calx cupri acido aëreo saturata. Ex cupro mediantibus vinaceis corroso factitium e caeruleo virideſcens, siccum, friabile, minus ponderosum, saporis acidi acris & nauseosi, in aqua in pultem intumeſcens & in aquae partibus quinque & in dupla quantitate spiritus vini solubile, quae solutio flamma ardet viridi. Eligatur purum, coloris ad caeruleum vergentis, siccum & in aëre non humeſcens. Rejicitur saporis salsi, maculis nigris vel albis distinctum, & creta vel gypso adulteratum, quae vitiatio solutione aeru-

ruginis in ſpiritu vitrioli detegitur, ubi ſolummodo cuprum calcinatum ſolvitur, & creta vel gypſum in fundo relinquitur. Advehitur ex Gallia, ubi praeprimis in Monte peſſulano paratur; communiter vinaceis, ſarmentis & aliis impuritatibus commixtum, a quibus ante quemlibet uſum accurate liberandum eſt.

Vitriolum album, vitriolum zinci, chalcanthum album, weißer Vitriol, weißer Galizenſtein, Zinkvitriol, Augenſtein.

□ ⊙

Zincum vitriolatum B. Sal medium metallicum ex zinco & acido vitrioli conſiſtens. Vendibile adhuc aliis metallicis partibus inquinatum apud Goslarienſes ex mineris zinci Ramelsburgenſibus elixatione paratur, & divenditur in maſſis albis ponderoſis compactis, metae ſaccharinae ſimilibus, ſaporis valde conſtringentis aciduli. Vitriolum album in aquae tripla quantitate ſolvitur & exinde abit in cryſtallos columnares quadrilateros, in ſpiritu vini minime ſolvitur, in aëre farineſcit, in igne liqueſcit, intumeſcit & in maſſam denique coit compactam. Ex ſolutione aquoſa per ſalia alcalina fixa praecipitatur zincum albo colore & in ſtatu calcinato. Quum aliis metallis inprimis ferro & cupro inquinatum ſit vitriolum album Goslarienſe, pro uſu medico depuratione indiget Part. II praeſcripta.

Vitriolum coeruleum, vitriolum cupri, vitriolum veneris, vitriolum cyprium, Kupfervitriol, blauer Vitriol, cypriſcher Vitriol, Kupferwaſſer, blauer Galizenſtein, Spaniſcher Vitriol.

□ ⊙

Cuprum vitriolatum B. vel vitriolum cupratum. Sal medium metallicum ex cupro & acido vitrioli compoſitum, vendibile vero ferro adhuc contaminatum. Cryſtallos format latos priſmaticos, ſexlateros utroque extremo oblique ſed juxta lineas parallelas truncatos, caerulei ſive ſapphirini coloris, ſaporis ſtyptici, acris, nauſeoſi. In aquae quatuor partibus minime vero in ſpiritu vini ſolvitur, igne intumeſcit & denique in calcem cupream friabilem mutatur. In ferro tritum polito & antea madefacto, maculam relinquit coloris cuprei; in aëre ſi purum eſt pulvere obducitur albo, ſi vero ferro inquinatum flaveſcente. Eligatur purum, ſapphirini coloris & bene cryſtalliſatum. Contaminatio ferro, proditur calce ferrea nigra in aëre flaveſcente & inquinatio cum zinco, calce zinci alba, quae utraque ex ſolutione vitrioli caerulei in aqua deſtillata per ſpiritum ſalis armoniaci cauſticum praecipitatur; eadem ſolutio per eandem admixtionem, ſi vitriolum cupri ab hiſce metallis liberum eſt, initio quidem turbida redditur ſed ſpiritus dicti majori quantitate inſtillata, iterum limpida & caerulea evadit. Paſſim in Germania praecipue e mineris cupro divitibus elixatione, ſic & evaporatione paratur aquarum vitriolicarum cuprearum.

Vitrio-

Vitriolum viride, vitriolum ferri, vitriolum martis. Grüner Vitriol, Eisenvitriol, grünes Kupferwasser.

□

Ferrum vitriolatum B. Sal medium metallicum ex ferro & acido vitrioli compositum, vendibile vero communiter cupro & zinco adhuc contaminatum. Crystallos fingit rhomboidales transparentes & virides in caeruleum vergentes & in aëre facile in pulverem flavum dilabentes. Saporis adstringentis, acidi subcaustici. In sex partibus aquae solvitur, minime vero in spiritu vini. In aqua solutum & aëri expositum flavum deponit sedimentum & cum tinctura gallarum nigrescit. Reperitur quidem etiam nativum & in aqua solutum, plerumque vero arte ex pyritibus sulphureis paratur.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Medicamina & pharmaceutica vegetabilia.

I. Radices.

Radix allii, radix allii vulgaris, Knoblauch.

□ ⊙

Allium ſativum Linn. Cl. VI. ord. 2. Bulbus ſubrotundus, qui deorſum tenues emittit fibras ex membrana communi ex albo purpuraſcente, quinque vel ſex includente faſciculatim inter ſe junctos bulbulos ſive ſpicas, hinc planas inde convexas, ſingulas ſua membranula cinctas, ſolidas, carnoſas, albas & ſucco divites limpido; ſaporis acris, ſubdulcis; odoris gravis, volatilis, ingrati peculiaris. Quum ſolummodo recenti utimur radice, in cella ſabulo ſervanda venit. Planta perennis apud nos in hortis culta.

Radix

Radix altheae, radix bismalvae, Eibiſchwurzel, Ibiſch, Heilkraut, große und wilde Pappel, Altheewurzel.

□ ⊙

Althea officinalis L. Cl. XVI. ord. 5. Radix ramoſa ramis longis & calamum vel digitum craſſis, intus alba, extus ſubgriſea vel flava epidermide obducta, qua privata, plerumque ergo & extus alba, in officinis occurrit; odoris nullius; ſaporis mucilaginoſi, ſubdulcis. Planta perennis in Gallia, Anglia, Belgia, Helvetia & paſſim in Germania ut in Auſtria, Sileſia, Saxonia, Naſſovia ſponte, apud nos vero in hortis creſcens. Icon videatur *Blackwell.* tab. 90. *Zorn.* plant. med. tab. 42.

Radix angelicae ſativae, radix angelicae hortenſis, Gartenangelikwurzel, Heilgenzeiſtwurzel, Bruſtwurzel, Engelwurzel, Luſtwurzel.

□ ⊙

Angelica archangelica L. Cl. V. ord. 2. Radix magna, craſſa, ramoſa, fibras ſaepe polliculares emittens, extus bruna vel griſea & rugoſa, intus albida, ſecundum longitudinem diſſecta canales exiguos flavos exhibens; odoris balſamici & in decoquendo moſchatici. Saporis initio aromatici & dulcis deinde ſubacris & amaricantis. Eligatur ſolummodo tenax, admodum fragrans & dictis canalibus praedita. Cave ne ſubſtituatur radici noſtrae radix angelicae ſylveſtris L. quae debilior & canalibus dictis carens; angelica ſylveſtris apud nos frequenter in locis humidis creſcens ab archangelica dignoſcitur folio terminali minime lobato ſed integro, reliquis vero

vero foliis archangelicae aequalibus, etsi magnitudinis majoris. Biennis in Lapponia, Norwegia, Lappia, Islandia, sic & in Silesia, Austria, Bohemia, Holsatia, Nassovia &c. sponte crescens, apud nos in hortis colitur. Radix mucori & insectis obnoxia, in loco sicco servetur & saepe aëri exponatur; immersione semel facta in spiritum vini ferventem hoc periculo praevideri dicitur. Icon videatur *Blackw.* tab. 496. *Zorn.* plant. med. tab. 273.

Radix ari, radix aronis, Aron, Pfaffenpint, Zehrwurzel, Kalbfußwurzel, Freßwurzel, deutscher Ingber.

⊙

Arum maculatum L. Cl. XXI. ord. 2. Radix globosa & oblonga, digitum crassa, tuberosa, carnosa & infra fibrosa, extus lacte bruna, intus alba, recens saporis acerrimi & penetrantis. Perennis in locis nemorosis & umbrosis indigena v. c. ad sic dictas vineas prope Detmoldiam. Radix semper effodienda est vel mense Aprilis vel ineunte autumno quando folia marcescere & baccae matureſcere incipiunt & sollicite in vitris servanda; praeter ea quovis etiam anno recens colligenda, ne omnibus plane viribus destituta sit. Icon vid. *Blackw.* tab. 228. *Zorn.* 75.

Radix aristolochiae longae vulgaris, radix aristolochiae tenuis, gemeine Osterluzey, dünne Osterluzey.

□ ⊙

Aristolochia clematitis L. Cl. XX. ord. 5. Digitum minimum crassa, longa, huc illuc curvata, fibrillis obsessa, extus e flavo grisea sive bruna, intus

ex

ex albo flavescens. Perennis in incultis, & ad sepes, in regionibus calidioribus Europae & Germaniae proveniens. Icon vid. *Blackw.* tab. 225. *Zorn* 98.

Radix aristolochiae rotundae, radix aristolochiae verae, runde Osterluzeywurzel.

□

Aristolochia rotunda L. Cl. XX. ord. 5. Radicibus solani tuberosi esculenti similis radix subrotunda, crassa, solida, rugosa, foris grisea vel fusca, interne ex albo lutea, saporis aromatici, amari, odoris debilis. Eligatur ponderosa, minus rugosa, non valde farinacea nec odore plane carens. Perennis in Hispania, Italia, Gallia crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 256. *Zorn* tab. 125.

Radix armoraciae, radix raphani rusticani, Meerrettig, Kreen.

□ ⊙

Cochlearia armoracia L. Cl. XV. ord. 1. Fusiformis radix, longa, crassa, ramosa, externe fusca, interne alba, recens saporis admodum acris, odoris valde volatilis & irritantis. Perennis ad fossas, piscinas, & rivulos crescens, ut plurimum in hortis colitur. Siccatione vires amittens, in cella fabulo servanda est. Icon vid. *Blackw.* tab. 415. *Zorn.* tab. 457.

Radix

Radix arnicae, radix arnicae Plauenſis, radix doronici Germanici, Wohlverleywurzel, Fallkrautwurzel, Luzianskrautwurzel, Mutterwurzel, Johannisblumenwurzel.

Arnica montana L. Cl. XIX. ord. 2. Communiter calamum craſſa radix, inaequalis, fibris multis deorſum tendentibus; extus ſpadicea, intus alba, odoris gravis, ſaporis acris, aromatici. Perennis in collibus apricis, & ſiccis pratis Germaniae & apud nos indigena. Vide flores arnicae.

Radix aſari, Haſelwurz, Mauſohr, wilder Nardus.

☉

Aſarum Europaeum L. Cl. XI. ord. 1. Tenuis, repens, articulata, incurvata, multis fibrillis obſeſſa, quae fibrillae proprie radices ſunt, ergo inprimis colligendae & ſervandae, extus griſeae vel fuſcae, intus ex albo flaveſcentes, odoris fragrantis Valerianae ſimilis, ſaporis aromatici, amaricantis, nauſeoſi, ſiccatione utriusque debilitati. Perennis in nemoroſis, montoſis praeſertim in coryletis vulgaris. Icon vid. *Blackw.* tab. 383. *Zorn.* tab. 74.

Radix aſtragali exſcapi, ſchaftloſe Aſtragelwurzel, ſchafloſe Wirbelwurzel.

□

Aſtragalus exſcapus L. Cl. XVII. ord. 4. Longa radix, usque ad duos pollices craſſa, in apice tenui in duas partes teneras diviſa, extus bruna & rugoſa, intus flaveſcens & lignoſa, in margine vero alba & mollior,

lior, odoris nullius, saporis dulcis cum ingrata amaritie. Perennis, in montibus Hungariae, Thuringiae prope Nordhusam, Saxoniae &c. crescens. Icon vid. *Zorn.* tab. 551.

Radix bardanae, radix lappae majoris, Klettenwurzel, Großdeckenfranzwurzel.

□ ☉

Arctium lappa L. Cl. XIX. ord. 4. Crassa radix, simplex, longa, recta, extus nigricans, intus alba, spongiosa, saporis subdulcis amaricantis. Rejicitur vetusta & lignosa. Perennis, ad vias & in locis ruderatis indigena, mense Majo colligenda. Icon vid. *Blackw.* tab. 117. *Zorn.* tab. 387.

RADIX BELLADONNAE, Belladonnawurzel, Tollkirschenwurzel, Teufelsbeerwurzel, Nachtschattenwurzel.

☉

Atropa belladonna L. Cl. V. ord. 1. Longa, crassa, ramos emittens plures, glabros sparsim fibrosos, extus e flavo fusca, sive grisea, intus alba, recens odoris pastinacei ingrati, saporis dulcis subadstringentis. Perennis, in sylvis imprimis caeduis, lucis, collibus umbrosis & in locis paludosis, apud nos indigena frequens in monte Falkenbergensi & monte Büchenberg prope Detmoldiam. Vide hb. belladonnae.

Radix bistortae, Natterwurzel, Schlippen- oder Krebswurzel.

⊙

Polygonum bistorta L. Cl. VIII. ord. 3. Radix digitum crassa, compressa, inflexa sive geniculata, rugis annularibus cincta, & multis fibrillis obsessa, extrinsecus fusca vel ex spadiceo nigricans, intus primo rubelli postea aurantii coloris, saporis austeri. Perennis, in montibus & pratis humidis frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 254. *Zorn.* tab. 92.

Radix britannicae, radix hydrolapathi, Wassergrindwurzel, Wasserampfer, Roßampfer.

□ ⊙

Rumex aquaticus L. Cl. VI. ord. 3. Magna radix, crassa, ramosa, lignea, extus obscure rufla, intus lutea, saporis austeri & amari. Perennis, ad fossas, lacusque germinans, apud nos ad Weram frequens. Icon vid. *Blakw.* tab. 490. *Zorn.* tab. 588.

Radix bryoniae, Zaunrübe, Gichtrübe, Stickrübe.

⊙

Bryonia alba L. Cl. XXI. ord. 9. Radix praegrandis, saepe brachium crassa, fusiformis, infra etiam ramosa, alba, extus flava, recens carnosa, siccata vero fungosa, pallida & radiis ac circulis distincta, recens odoris foetidi, saporis acris amari. Perennis, in umbrosis & ad sepes indigena. Recens servatur in sabulo humido. Icon vid. *Blackw.* tab. 37. *Zorn.* tab. 417.

Radix

Radix calami aromatici, radix acori veri, radix calami genuini, Kalmus, gute Ackerwurzel.

□ ⊙

Acorus calamus L. Cl. VI. ord. 1. Longa radix, ſubcompreſſa, geniculata, digitum craſſa, recens extrinſecus coloris e bruno ſubviridis, ſiccata cicatriculis numeroſis ex reſectis fibrillis deorſum notata, coloris pallide bruni, intus ex albo rubelli & ſpongioſa, ſaporis aromatici amaricantis, odoris grati balſamici. Perennis, in aquis ſtagnantibus, foſſis, piſcinis creſcens. Icon vid. *Blackw.* tab. 466. *Zorn.* 207.

Radix caricis arenariae, radix graminis majoris, radix graminis rubri, Sandriedgraswurzel, große Päßermwurzel, Eiſenpäßdenwurzel.

□ ⊙

Carex arenaria L. Cl. XXI. ord. 3. Pennam columbinam craſſa radix & craſſior, longa, lignoſa, articulata, in nodis articulorum fibroſa, in articulis ipſis vero glabra, extus ſubbruna, intus alba, recens odoris balſamici reſinoſi, ſaporis amaricantis reſinoſi. Caveas ne cum radice caricis hirtae L. commutetur, quae non ſolum in nodis articulorum ſed etiam in articulis ipſis fibroſa eſt, & odore balſamico carens. Perennis, in arenoſis, praeprimis in arena mobili germinans. Quo profundius effoditur eo efficacior cenſenda.

Radix carlinae, radix cardopathii, radix chamaeleontis albi, Eberwurzel, weiße Eberwurzel.

□ ⊙

Carlina acaulis L. Cl. XIX. ord. 1. Digitum & ultra crassa radix, fibrosa, superne ramosa, rugosa & in superficie corrosa, quasi a vermibus exesa, externe ex flavo fusca, interne ex albo flava, odoris balsamici, saporis subdulcis, acris, aromatici. Perennis, in montibus & collibus apricis crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 532. *Zorn.* tab. 168.

Radix caryophillatae, radix geï urbani, Nelkenwurzel, Benedictenwurzel, Herzwurzel, Garaffel.

⊙

Geum urbanum L. Cl. XII. ord. 5. Ex brevi trunco oblongo calamum crasso plures fibrae longae fusiformes sparguntur, extrinsecus subfuscae, intus ex albo rubellae sive flavescentes. Recens odoris aromatici ad caryophillaceum accedentis, saporis similis, austeri & amari; incaute siccata aromate suo ut plurimum privata est. Fibrillae minime rejiciendae, minus enim sunt lignosae & plus aromatis spargunt trunco. Perennis, in umbrosis ad sepes, in collibus sylvaticis crescens & apud nos ad sepes fio dictarum vinearum, in monte Büchenberg prope Detmoldiam. Tempore verno ex solo sicco effodienda simulac herba progerminat, & leni lentoque calore, optime in umbra, siccanda & in vitris clausis servanda. Icon vid. *Blackw.* tab. 255. *Zorn.* tab. 221.

Radix

Radix chelidonii majoris, groſſe Schöllkrautwurzel, Schwalbenkrautwurzel.

⊙

Chelidonium majus L. Cl. XIII. ord. 1. Ramoſa, digitum & ultra craſſa, multis longis fibrillis ſtipata. Dum recens extus ex fuſco rubicunda, ſiccatione autem nigreſcens, ſaporis acris, amaricantis, odoris ingrati. Recens ſucco croceo acri turget. Perennis, in locis ruderatis & ad ſepes copioſiſſima. Icon vid. *Blackw.* tab. 91. *Zorn.* tab. 22.

Radix cichorii ſylveſtris, wilde Hindläuft, Zichorie, Wegwartwurzel.

□ ⊙

Cichorium intybus L. Cl. XIX. ord. 1. Longa radix, digitum craſſa, ſubramoſa, fibroſa, extus ſubfuſca, intus alba; recens ſucco lacteſcente turgida, ſaporis ſubdulcis ſubamari. Pharmacopola ſponte creſcentem verno tempore colligat, ſpernatque in hortis cultam. Rejiciatur lignoſa & ingrate amara. Biennis, in apricis, ad vias & agrorum oras creſcens. Icon vid. *Blackw.* tab. 183. *Zorn.* tab. 37.

Radix colchici, Zeitloſenwurzel, Lichtblumenwurzel, Herbſtblumen, Ackblumenwurzel.

Colchicum autumnale L. Cl. VI. ord. 3. Ex geminis bulbis ſolidis, coloris extus flaveſcentis intus albi, aggregata, communi membrana tectis, quae duplex eſt, externa coriacea & profunde bruna, interna tenuior & pallidior. Unus bulbus communiter emarci-

dus & corrugatus est, alter succosus infra fibrosus. Rejiciendus emarcidus farinosae saporis, colligendus succosus ovatus, nucis juglandis subinde magnitudinis, fovea & crista lateralii sursum instructus, saporis amari acris, odoris nauseosi, nares vellicantis. Ineunte effodi debet aestate. Perennis in pratis udis germinans. Icon vid. *Blackw.* tab. 566. *Zorn.* tab. 133.

Radix colombae, radix columbae, Colombawurzel.

Planta incognita. Communiter praesto est radix in taleolis inaequaliter orbicularibus, a semi ad tres pollices latis & a quarta parte pollicis ad tres integros crassis, plerumque perforatis, superficie aspera, cortice rugoso, extus ferrugineo sive obscure fusco, intus luteo, unam vel duas lineas crasso, substantia interior compactior vel lignosa, intima farinacea, coloris e viridi flavescentis vel subfusci & huc illuc etiam e luteo albicantis aut nigricantis. Sapor ingrate amarus, odor peculiaris balsamicus ad odorem seminis cumini sativi nonnihil accedens, mox vero, si radix non rite servatur, decrescens. Advehitur e Zeilonia, interdum etiam juxta longitudinem secta. Facile carioſa evadit. Solicite in vitro vesica bubula muniendo & loco frigidiusculo custodienda.

Radix consolidae majoris, radix symphiti, Schwarzwurzel, Beinwellwurzel, Wallwurzel, Schanzwurzel, Schmerwurzel.

□ ☉

Symphitum officinale L. Cl. V. ord. 1. Ramosa radix

radix, digitum crassa, recens carnosa & viscida, siccata vero & diu servata spongiosa & farinosa, fragilis, extus nigra, intus alba, saporis mucilaginosi & viscidi. Perennis, in pratis humidis ad fossas & rivos frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 252. *Zorn.* tab. 137.

Radix contrajervae, Giftwurzel, Bezoarwurzel, Widergift.

☉

Dorstenia contrajerva L. Cl. IV. ord. 1. Radix rugosa, nodosa, tuberculosa, solida, ad latera & deorsum multis longis, ramosis, tenuibus, nodosis & tenacibus fibris stipata, pollicem unum alterumve longa, & dimidium circiter pollicis crassa, extus e flava bruna, intus ex albo flavescens, saporis subacris & amaricans, odoris debilis aromatici. Eligatur non inveterata, non cariosa, ponderosa & a fibris liberata. Perennis, in nova Hispania, in Peru, Mexico, in vera Cruce, & circa Campechy crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 578.

Radix curcumae, Curcuma, Gelbwurzel, gelber Ingber.

□

Curcuma longa L. Cl. I. ord. 1. Radix longa, crassa, subinde in finem olivaeformem desinens, subinde in apicem acuatam, solida, tuberosa, nodosa, rugosa, extus pallide lutea, intus profunde flava, crocea & temporis decursu punicea; saporis amaricantis, leviter aromatici, odoris fragrantis. Eligatur quae diffracta particulas resinosas micantes exhibet, dura & ponderosa.

Perennis, in India orientali habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 396. *Zorn.* tab. 421.

Radix dauci sativi, Karotten, gelbe Wurzeln, Möhren, Mohrrüben.

□ ⊙

Daucus carota L. Cl. V. ord. 2. Fusiformis radix, crassa, succosa, plerumque luteae vel aurantii coloris, saporis dulcis. Perennis, in agris hortisque colitur. In cellis sabulo humido servanda. Icon vid. *Blackw.* tab. 546. *Zorn.* tab. 471.

Radix dictamni albi, radix fraxinellae albae, weißer Diptam, Specht, Eschenwurzel.

⊙

Dictamnus albus L. Cl. X. ord. 1. Circa digitum vel pollicem crassa radix, ramosa, carnosa, in medio nervosa, alba, saporis amari subacris, odoris dum recens est hircini. In officinis servatur solummodo pars corticalis, a lignosa inerti medulla alba separata & in formam arundinaceam convoluta, recens pallide lutea, siccata vero alba. Eligatur tenuior & minime carioſa. Perennis, in montibus & collibus saxosis Germaniae ut in Franconia, Thuringia, Hercynia. Icon vid. *Blackw.* tab. 75. *Zorn.* tab. 439.

Radix doronici, radix doronici romani, Gemsenwurzel, Schwindelwurzel.

Doronicum pardalianches L. Cl. XIX. ord. 2. Radix brevis, oblonga, crassa, aspera, nodosa, non valde fibrosa

brosa, extus ex flavo grisea recens, siccata vero pallescens, intus alba, odoris nonnihil aromatici, saporis subdulcis aliquantulum adstringentis & subaromatici. Perennis, in montibus Helvetiae, Stiriae, Austriae &c. habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 239. *Zorn.* tab. 227.

Radix enulae, radix helenii, radix enulae campanae, Alantwurzel, Helenenkrautwurzel, Glockenwurzel.

□ ⊙

Inula helenium L. Cl. XIX. ord. 2. Radix magna, longa, ramosa, non multum fibrosa, recens extus bruna, siccata vero glauca, interne pallida, saporis initio subrancidi glutinosi, postea amari, acris subaromatici, odoris recens camphoracei aromatici, siccata vero violacei. Perennis, in locis humidis Italiae & Helvetiae, apud nos in hortis colitur, quae vero ad usum medicum minime colligenda. Icon vid. *Zorn.* 475.

Radix filicis maris, radix filicis non ramosae dentatae, Farrenkrautwurzel, Johanniswurzel, Johannishand.

□ ⊙

Polypodium filix mas L. Cl. XXIV. ord. 2. Oblonga radix digitum circiter crassa, undique ovatis, incurvatis, approximatis, nigricantibus tuberculis ferrugineis obsessa, infra fibrosa. Color recentis pallide viridis, siccatae albus subrubescens; odor nauseosus, sapor initio subdulcis postea amaricans constringens. Perennis, in sylvis montosis indigena, autumno exeunte colligenda, omnes fibrae & utraque extremitas rescindendae. Icon vid. *Blackw.* tab. 323. *Zorn.* tab. 497.

Radix filipendulae, radix Saxifragae rubrae, rothe Steinbrechwurzel, neue Kraftwurzel, Erdeichel.

□

Spirea filipendula L. Cl. XII. ord. 4. Radix fibrosa, tuberosa, carnosa; extus rufla, intus pallida & mox rubella evadens, odoris subbalsamici, saporis subamari, subaromatici adstringentis. Perennis, in locis humidis ad prata & in sylvis & arboretis crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 476. *Zorn.* tab. 394.

Radix foeniculi, Fenchelwurzel, süße Wurzel.

□

Anethum foeniculum L. Cl. V. ord. 2. Radix fusiformis, digitum crassa, in duas partes exeuns, fibrillis paucis obsessa, alba, saporis dulcis aromatici. Biennis, in Gallia, Hispania, Helvetia sponte, in Germaniae arte crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 288. *Zorn.* tab. 63.

Radix galangae minoris, kleiner Galgant.

□ ⊙

Maranta galanga L. Cl. I. ord. 1. Tuberosa radix, nodosa, dura, digitum crassa, annulata; praesto est in particulas pollicem circiter longas vel minores transversim secta, extus e spadiceo rubra, intus rubella, saporis fervidi, acris subamari, constringentis, odoris fragrantis. Eligatur ponderosa & solida, non cariosa. Radice subinde cyperi longi commutatur, qui error vero sapore amariori distinguendus. Ex india orientali advehitur.

Radix

Radix gentianae rubrae, radix gentianae luteae, rothe Enzian, Bitterwurzel, gelbe Enzian, gemeiner Enzian.

□ ⊙

Gentiana lutea L. Cl. V. ord. 2. Radix longa, pollicem unum vel duos crassa, cylindrica, multifida, annulata, rugosa, spongiosa, tenax, foris fusca, intus ex flavo rubescens, saporis intense amari. Rejiciatur corrugata, intus nigricans, mucida vel cariosa. Narratur de adulteratione gentianae rubrae cum radicibus ranunculi thorae L. vel aconiti lycotonum; radix adulterans per colorem extus ex griseo fuscum, vel pallidum vel ex viridi nigricantem, per tenuiores quidem sed frequentiones rugas, per fragilitatem faciliorem, odorem ingratum & saporem urentem vel pungentem dignoscenda. Perennis, in montibus Helvetiae, Austriae, Silesiae &c. Icon vid. *Zorn.* tab. 257.

Radix graminis, radix graminis canini, Quackenwurzel, Grasswurzel, Gerken-Hundsgraswurzel, Päpdenwurzel.

□ ⊙

Triticum repens L. Cl. III. ord. 2. Culmum frumenti crassa, subramosa, longa, glabra, geniculata geniculis fibrosis, alba nonnihil flavescens, saporis subdulcis. Perennis in agris, ruderatis & pratis vulgatissima, semper verno aut autumnali nunquam vero aestivo tempore colligenda. Icon vid. *Blackw.* tab. 337. *Zorn.* tab. 460.

Radix

Radix hellebori albi, radix veratri, weiße Nieswurzel, Schampanier, Kräuterwurzel.

□ ☽

Veratrum album L. Cl. XXIII. ord. 1. Conico-cylindrica radix apice obtuso, subinde ultra pollicem crassa, pulposa, vel adhuc numerosis albicantibus vel badiis oblongis fibrillis stipata, vel harum fibrarum resectarum vestigiis notata. Foris fusca vel grisea, intus alba cum medulla grisea, saporis acerrimi amaricantis nauseosi & urentis, trituratione in pulverem sternutationem excitat. Perennis, in montibus Austriae, Helvetiae, Italiae crescit. Icon vid. *Blackw.* tab. 74. *Zorn.* tab. 295.

Radix vel *fibrillae hellebori nigri veri*, radix melampodii, schwarze Nieswurzel, Christwurzel.

☉

Helleborus niger L. Cl. XIII. ord. 2. Ex tubere subgloboso nucem moschatam crasso, nigro & sulcato, oriuntur rami breves, articulati, ex quibus germinant copiosae fibrillae carnosae, cylindricae, tenues, nonnihil tenaces, nigrescentes vel badii. Tuber sive caput radicis saepissime una alterave squamula obsessum, ad usum medicum vix adhibetur, ergo medici communiter solummodo fibrillas praescribunt. Quae fibrillae a spithama ad pedem longae contortiplicatae, culmum frumenti crassae & exsiccatione rugosae, fragiles, extus e fusco grisease, intus albidae sive e flavo albae, saporis sunt amaricantis acris, nauseosi & sensum

ſum caloris ſtuporisque in lingua excitantis, odoris nauſeoſi & acris. Rejiciantur fibrillae vetuſtae, nimis fragiles, pulverulentae, inſipidae, & inodorae. Radix hellebori nigri veri vulgo cum aliis radicibus commutatur vel adulteratur; inprimis ferme in totius Germaniae pharmacopoliis pro hellebori nigri veri radice, proſtat radix adonidis vernalis Lin. ab helleboro nigro genuino per caput brevius, per crebriores, carnoſiores & ſubtiliores fibrillas, majoremque contortiplicationem & longitudinem diſcernenda, praeter ea radix adonidis vernalis intenſiori nigredine extus & candidiori albitudine intus, ſapore amaro & acri quidem ſed cum dulcedine mixto & odore fortiori diſtinguitur. Pro fibrillis hellebori nigri etiam radices Trollii europaei L. circumferuntur, capite breviſſimo, fibris ſex vel ſeptem pollicibus longis, valdeque ramoſis, praecipue verſus apicem dignoſcendae. Actaeae ſpicatae L. ſive Chriſtophorianae radix etiam pro helleboro nigro vero divenditur, a qua caudice ramisque articulatis diſtinguitur, quorum infimus articulus crebriores edit fibras easque lignoſas. Sic etiam radix Aſtrantiae majoris L. ex radice fuſiformi articulata, fibrisque undique ſparſis, trium vel quatuor pollicum longis & fuſco nigricantibus cognoſcitur. Etiam radix hellebori viridis pro hellebori nigri radice divendi ſolet, quae vero fibris numeroſioribus, brevioribus, tenuioribus magisque nigris & ſapore denotatur amariſſimo & acriori. Radix hellebori albi etiam helleboro nigro ſubſtituitur, aſt tubere longiori craſſiorique, colore albidiori, ſaporeque amariori

&

& urente discriminanda. Periculosissimus vero error sive vitiatio est, si pro genuina, radix aconiti napelli propinatur, quae valde venenata, facile autem a genuina discernenda per caudicem fusiformem vel subglobosam, per copiosas tres vel quinque pollices longas, culmumzeae crassas & supradecompositas fibras, admodum fragiles & coloris e nigro grisei vel fusci. Denique etiam radix hellebori foetidi L. pro genuino helleboro nigro habetur, ast per caudicem rectam, fibras pauciores & breviores, colorem nigerrimum & saporem fortiorem magisque perdurantem distinguenda a radice helleberi nigri. Quas fraudes & adulterationes ad evitandas apud nos lex esto, ne pharmacopolae, fibrillas hellebori nigri ex peregrinis aromatariis emant sed in hortis solo apto alant plantam veram. Perennis, in montibus & collibus Austriae, Stiriae, Helvetiae, Hercyniae, Silesiae crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 506. *Zorn.* tab. 185.

Radix jalappae, radix jalappii vel gialappae vel mechoacannae nigrae, Jalappenwurzel, Purgirwurzel, Gallenwurzel.

□ ⊙

Convolvulus jalappa L. Cl. V. ord. x. Non integra in nostris praesto est officinis radix, sed vel in orbiculos vel in duas partes longitudinaliter secta, figurae dum pyri divisi similis & leni tostione siccata. Quae segmenta sunt inaequalia, ponderosa, resinosa, solida, extus rugosae, ex lucido fusci vel nigricantis coloris, intus obscure grisei, stris nigris variegati, saporis acris,

acris, resinosi ac nauseosi, acidiusculi, odoris debilis nauseosi, pulverisata colore apparet ex flavo griseo. Eligantur frusta ponderosiora, crassa, extrinsecus nigricantia, intrinsecus multis micantibus punctis & pluribus striis nigris variegata, prunis aut flammae admota promte inflammabilia, quae manibus non statim infringi, malleo vero mortarii mox comminui possunt. Frusta leviora intus albida vel pallide cinerea, mucida, cariosa, pulverulenta strenue rejicienda. Radicis bryoniae segmentis adulterari dicitur, quae vero facile colore pallidiori vel albidiori, textura spongiosa, majori levitate & fragilitate circulisque vel radiis discernitur. Interdum magnarii radices mittunt, ex quibus jam multum resinae extractum & quae iterum exsiccatae sunt, pharmacopola ideo ante usum medicum quantitatem in comparatis radicibus contentam resinae per affusionem spiritus vini examinet, radices non expilatae sextam usque ad quartam partem largiuntur resinae. Perennis, in Mexico inprimis in Vera Cruce habitans.

Radix imperatoriae, radix ostrutii, Meisterwurzel, Kaiserwurzel, Magistranz, Ostranz, Ostriz.

□ ⊙

Imperatoria ostrutium L. Cl. V. ord. 2. Radix oblonga, pollicem crassa, nonnihil plana, annulata, geniculata, fibrata, foris grisea nigrescens, intus albida, saporis calidi penetrantis aromatici, odoris angelicae & levistici similis, fragrantis. Rejiciatur mucida & diffracta fibrosae compagis. Eligatur masticationi tenax, dif-

diffracta viscosa, & nonnullos pollices longa. Perennis, in montibus Helvetiae, Austriae & Silesiae sponte crescens, apud nos in hortis culta, cujus radices tanquam minorum virium minime colligendae. Icon vid. *Blackwell.* tab. 279. *Zorn.* tab. 24.

Radix ipecacuanhae, radix ipecacuannae, radix ipecacoanhae vulgaris s. griseae s. cinereae, Brechwurzel, Ipecacuanha, Ruhrwurzel.

⊙

Radix an *violae ipecacuanhae L.* an *psychotriae emeticae L.* an *euphorbiae ipecacoanhae* an alius plantae adhuc incertum. Quae in pharmacopoliis nostris obvia, calamum majorem minoremve crassa, digitum circiter longa, dura, varie inflexa, aspera, annulis incisurisque profundis notata, extus cinerea, intus ex albo flavescens, nucleo ligneo albo vel flavo percussa a cortice facile secernendo. Odor fere nullus vel mucidus, sapor partis corticalis amaricans & subacris, nuclei vero lignosi mucilaginosus. Rejiciatur albicans, gilva, fusca, spongiosa & sulcis non distincta, etiam quam nucleus transit ruber, haec enim radix dicitur speciei cujusdam apocini. Eligatur densa, tenax, solida, a fibris liberata, & fracta resinosis splendens particulis. Fibrae interdum adhuc adhaerentes & nucleus lignosus non in pulverem redigendae sed rejiciendae, pulvis in contusione tenuis avolans, nares, oculos, & pulmones irritat & molestе afficit. Advehitur ex America meridionali, inprimis ex Peru per Hispanos.

Radix

Radix iridis florentinae, florentiniſche Violenwurzel.

□ ☉

Iris florentina L. Cl. III. ord. 1. Radix tuberoſa, pulpoſa, nodoſa, ex Italia cortice rubro & fibris ſublatis ad nos adportatur in fruſtulis digitum craſſis, oblongis, aliquo modo planis, nodoſis, extus albis punctisque e fulvo fuſcis notatis, intus albis vel e flavo albis, ſaporis acris & ſubamari, odoris violae martiae ſimilis. Adulteratur interdum cum radice varietatis vilioris, quae vero minor, tenuior, mollior, coloris in cinereum vergentis odorisque valde debilioris eſt genuina. Eligatur ponderoſior, denſior, candidior & odoratiſſima, rejiciatur mucida & odore carens. Perennis, in Europae calidioribus regionibus, v. c. in Carinthia habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 414. *Zorn.* tab. 186.

Radix lapathi acuti, radix oxylapathi, Grindwurzel, Mangelwurzel, Streif-Zitterlendentrautwurzel, Bubenkrautwurzel.

□ ☉

Rumex acutus L. Cl. VI. ord. 3. Longa radix pollicem & ultra craſſa, cylindrica, vel ſimplex vel ramoſa, nonnihil fibroſa, externe fuſca, interne flava, ſaporis amari, conſtringentis acris. Perennis, in locis creſcens humidis. Icon vid. *Blakw.* tab. 491. *Zorn.* tab. 587.

Radix levistici, radix liguſtici ſive lybiſtici, Liebſtöckelwurzel, Badkrautwurzel, Saukrautwurzel.

□ ⊙

Liguſticum leviſticum L. Cl. V. ord. 2. Radix craſſa, racemoſa, carnoſa, extus e gilvo nigricans, intus alba in medio autem ſubflava, odoris peculiaris fragrantis, ſaporis ſubdulcis, acris & ingrati. Perennis, in alpibus ſponte creſcens apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 275. *Zorn.* tab. 233.

Radix liquiritiae, radix glycirrhizae, Süßholzwurzel.

□ ⊙

Glycirrhiza glabra & echinata L. Cl. XVII. ord. 3. Radix digitum & ultra craſſa, longa & ſiccatione rugoſa, extus bruno-fuſca, interne flava, ſaporis dulcis. Eligatur tenax, diſſecta laete flava, radios & vaſa ſuccoſa prodens, rejiciatur mucida & carioſa. Perennis, in Anglia, Hiſpania creſcens, nobis ex Franconia, ubi in agris colitur, adfertur. Icon vid. *Blackwell.* tab. 495. *Zorn.* tab. 209 & 350.

Radix lobeliae, Lobelienwurzel, blaue Cardinalsblumenwurzel.

Lobelia ſyphilitica L. Cl. XIX. ord. 6. Fibrae lineam craſſae, circa duos pollices longae, albae, recentes ſucco lacteo turgidae, tritae odoris rancidi, acris nauſeoſi tabaco ſimilis, penetrantis, ad vomitum ſtimulantis. Ne cum radice lobeliae longiflorae L. weiße Cardinalsblume commutetur, cujus uſus periculoſior.

flor. Perennis, in locis udis & ſylvis lutoſis Virginiae ſponte creſcens apud nos in hortis colitur. Icon vid. *Zorn.* tab. 368.

Radix mezerei, radix cocognidii, radix laureolae, Kellerhalswurzel, Bergpfefferwurzel, Seidelbaſtwurzel.

Daphne Mezereum L. Cl. VIII. ord. 1. Calamum ſcriptorium & ſupra craſſa radix, brevis, laevis, cortice tenui e flavo bruno tecta, intus lignoſa & alba. Corticis ſapor ad primum guſtatum vix acris, ſed paulo poſt ſenſum ardoris producit vix tolerandum. Rejicitur inveterata, acredine deſtituta. Frutex in ſylvis Germaniae & in noſtris frequens. Radix vere ineunte colligenda. Icon vid. *Blackw.* tab. 582. *Zorn.* tab. 3.

Radix ononidis ſpinoſae, Hauhechelwurzel, Ochſenbrechwurzel.

□

Ononis arvenſis L. Cl. XVII. ord. 4. Radix cylindrica, pollicem craſſa, pedum & ſupra longa, ramoſa, tenaciſſima, extus fuſca, intus alba, ſaporis ſubdulcis, quodammodo naufeoſi. Perennis, ad vias & in aridis indigena. Icon vid. *Blackwell.* tab. 301. *Zorn.* tab. 132.

Radix orchidis, radix ſatyrionis, Stendelwurzel, Knabenwurzel, Ragwurzel, Kuckuksblumenwurzel.

□ ⊙

Orchis bifolia L. Cl. XX. ord. 1. Bulboſa radix, oblonga, in parte inferiori nonnihil acuminata, ſolida,

lida, dura, carnosa, circiter magnitudinis nucis moschatae, saporis mucilaginosi, coloris pallidi. In colligenda radice communiter duo vel tres inveniuntur bulbi, ex quibus solidiores, & succosi eligendi, rugosi ac exsucci rejiciendi sunt. Colligi debet aestate exeunte, quando semen maturari, stirps vero emarciari incipit. Radices ejusdem ferme figurae, qualitatis & virtutis largiuntur orchis morio L. & orchis mascula L. Perennis, in pratis, pascuis, sylvis & arboretis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 53. *Zorn.* tab. 275 & 267.

Radix paeoniae, Päonienwurzel, Pfingstrosenwurzel, Gichtrosenwurzel.

□ ⊙

Paeonia officinalis L. Cl. XIII. ord. 2. Tuberosa radix, oblonga, digitum & supra crassa, solida, extus bruna, intus alba, recens odoris gravis & ingrati, saporis subdulcis cum amaritie, subadstringentis. Rejiciatur vetusta, mucida & saporis plane expers. Perennis, sponte in Helvetia, Italia, Gallia crescit, apud nos in hortis colitur. Verno tempore effodienda & in talcolos secta exsiccetur. Icon vid. *Blackw.* tab. 65 & 245. *Zorn.* tab. 488.

Radix parirae bravae, Geissenwurzel.

Cissampelos pareira L. Cl. XXII. ord. 12. Radix digitum & valde supra crassa, lignosa, annulis concentricis notata, extus bruna, intus obscure flavescens, saporis amaro dulcis. Perennis, ex Brasilia praecipue advehitur.

Radix

Radix petasitidis, Peſtilenzwurzel, Schwelßwurz, Neunkraft, rother Huflattig, deutſcher Coſtus.

□

Tuſſilago petaſitis L. Cl. XIX. ord. 2. Supra craſſa, annulata, ramoſa, fibroſa radix, extus bruna, intus albida, ſaporis fortis amaricantis, angelicae ſimilis. Perennis, in pratis humidis, ad rivulos vulgaris. Icon vid. *Blackw.* tab. 222. *Zorn.* tab. 68.

Radix pimpinellae albae, radix pimpinellae noſtratis, Pimpinellwurzel, Bibernellwurzel, Steinpeterlein, Pfefferwurzel.

⊙

Pimpinella ſaxifraga L. Cl. V. ord. 2. Vix digitum craſſa radix, ſpithamam longa, extus e flavo cinerea, intus alba, nucleo nonnihil lignoſo, punctis notata reſinoſis, ſaporis amaricantis, acris, pungentis, recens odoris penetrantis, volatilis. Rejiciatur inveterata, fragilis, ſaporis vix acris. Perennis, in collibus & pratis apricis frequens; quae in pratis humidis creſcit non colligenda eſt, minoris enim eſt virtutis. Icon vid. *Blackw.* tab. 492. *Zorn.* tab. 108.

Radix polygalae amarae cum toto, bittere Kreuzblumenwurzel, bittere Polygalawurzel.

Polygala amara L. Cl. XVII. ord. 3. Ex capite nodoſo multas fibras racemoſas & fibrillis ſtipatas germinans. Extus ex albo griſea, intus albida, ſaporis balſamici amaricantis. Polygala amara cum herba colligitur & ne in colligendo cum vulgari commutetur,

ut saepe fit, scito herbam polygalae amarae, foliis radicalibus valde numerosioribus, majoribus, crassioribus, latioribus & ovatis, intense amaris & caulibus multis, partim procumbentibus, partim erectis, distinguendam esse a vulgari, quae praeterea saporis ferme nullius est. Cave ne in udis & paludinosis pratis crescentem colligas, quae raro caeruleos sed plerumque albos monstrat flores & pro amaro sapore, herbaceo baccis fragarum simili & nonnihil ingrato praedita est. Perennis, in montosis Austriacis, Saxonicis, Magdeburgensibus, Silesiacis, Goettingensibus &c. crescens. Icon vid. *Zorn.* tab. 83.

Radix polypodii, radix filiculae dulcis, Engelsüß, Steinfarrn, Krepfwurzel, Korallenwurzel, Baumfarrn, Eichfarrn.

□ ☉

Polypodium vulgare L. Cl. XXIV. ord. 2. Radix ramosissima, geniculata, calamum scriptorium crassa, fibrillis tenuissimis praedita, tenax. Recens dense longis, tenuibus, siccis, e spadiceo fuscis squamulis obsessa, intus e flavo viridescens. In officinis obvia a squamulis & fibrillis denudata, ramis vero adhuc dives, extus est fusca, intus alba; & saporis primo dulcis subadstringentis, deinde amaricantis, nauseosi. Rejiciantur radices lignosae, durae & saporis expertes. Perennis, ad radices quercuum, fagorum &c. in saxosis & sylvis densis in solo muscoso crebra. Icon vid. *Blackw.* tab. 215. *Zorn.* tab. 46.

Radix

Radix ptarmicae, wilde Bertramswurzel, weißer Dorant.

□ ⊙

Achillea ptarmica L. Cl. XIX. ord. 2. Radix longa, tenuis, tenax, fibrosa, extus cinerea, intus alba, saporis urentis, mordacis, fallvam excitantis. Vulgo radici pyrethri substituitur & omni jure, qua re etiam pro illa, quae peregrina est & raro in officinis genuina occurrit, colligatur & servetur. Perennis, in pratis humidis, ad agros & in pascuis udis. Icon vid. *Blackw.* tab. 276. *Zorn.* tab. 342.

Radix rhabarbari, radix rhei orientalis, radix rhabarbari veri, Rhabarber.

□ ⊙

Utrum *Rheum undulatum L.* vel *rheum palmatum L.* vel *rheum compactum L.* vel *rheum hybridum L.* radicem largiatur rhabarbari nostrarum officinarum, vel utrum ex pluribus nominatis speciebus desumatur, adhuc ambiguum. *Cl. IX. ord.* 2. Omne rheum in pharmacopoliis prostans, radix est decorticata, solida, compagis spongiosae, levis, extus obscure flavi vel ex albo lutei, vel ex viridi lutei, intus aurantii coloris, rubris & albis maculis striisque variegati, odoris peculiaris quodammodo aromatici, saporis amari, subacris, subadstringentis & ingrati. Triplici via nostris officinis procuratur; 1) itinere maritimo ex China & India orientali a Belgis petitur, idque rhabarbarum *Sinicum*, *Chinense*, *Indicum* sive *Hollandicum* nominatur, 2) itinere ter-

reſtri, vel per Turcas adportatum unde *Turcicum* nominatum, vel a mercatoribus Bucharicis, Kiachtam Sibiriae transvehitur, hujusque emtionem ut jus peculiare Ruſſia ſibi vindicat, quod *Ruſſicum*, *Sibiricum*, *Moſcoviticum* nuncupatur; 3) & in diverſis Europae regionibus e. g. in Anglia, Scotia, Gallia, Suecia & etiam in Germania, ibi praeprimis in Palatinatu, in Boruſſia & in Ducatu Brunſuicenſi, plantationes non parvae rhei palmati L. coluntur & bene ſuccedunt, hinc inde etiam experimenta hujus generis minora capta ſunt, & radices hujus *rhabarbari indigeni* in chemicis & medicis examinibus bene ſteterunt, ita ut omnino veriſimile ſit, in variis officinis praeſto eſſe & diſpenſari. Rhabarbarum optimae notae eſt Ruſſicum & Turcicum itinere terreſtri advectum, ergo nec humido maris attracto, nec vaporibus mercium aliorum adjacentium depravatum, & praecipue, quia in Ruſſico regno binas cenſuras ſubit, omnes vitioſas radices ſegregantes & delentes. Quod rhabarbarum *Ruſſicum* in fruſtis ex cultro applicato multangularibus, oblongis, ſubteretibus, palmaribus, pollices duos vel infra craſſis, vel proſtat in ſubplanis, latioribus ungulae equinae ſimilibus, utraque ſpecies foraminibus perforata, cenſurae Ruſſicae forſan reliquiae. Rhabarbarum quod *Turcici* nomine in officinis ſignatur, deſcripto Ruſſico ſimillimum ſolis exceptis foraminibus. Rheum *Indicum* ſive *Hollandicum*, in fruſtis praeſto eſt longioribus, ſubteretibus, durioribus & compactioribus, cum lateribus duobus planis, forſan expreſſione vehementi exortis. Rhabarbari *Europaei* vel *indigeni* fruſta com-

communiter ſunt minora, transverſim ſecta, coloris viridis lutei, odoris & ſaporis quidem rhabarbarini, ſed amarioris, nec ſtridorem inter dentes excitantia. Eligatur rhabarbarum cujus fruſta ſunt ſolida, ſed non lapidea, externe obſcure flava in rubicundum vergentia, vel ex albido lutea, vel ex viridi lutea, quae coloris diverſitas an ſolo, an diverſitati ſpeciei, an modo ſiccandi tribuenda? nondum conſtat, & quae digitis fricata colorem dictum nullo modo amittunt; interne omnia fruſta ſint coloris lutei vel crocei, roſeis & albidis punctis, ſubinde ſtellulis & ſtriis flexuoſis conſpicua, facile in pulverem contundenda pallide luteum, maſticata ſtrideant inter dentes, & ſalivam protinus colore imbuant croceo, nec ſaporem gignant viſcidum ſive mucilaginoſum; ſal tartari liquidum fruſtulis inſtillatum colorem priorem mutet in fuſcum ruborem, odor & ſapor ſit ſupra deſcriptus. Omne rheum coloris inſueti v. c. nigricantis, odoris minoris vel alieni, vel plane nullius, carioſum & mucidum, ſtrenue rejiciatur. Ad celandas verminoſas eroſiones, foramina ſubinde pulvere rhei implentur, ſic & ad malam qualitatem occultandam, externe ochra flava vel pulvere rhei boni fruſta illiniuntur, quae fraus facile manu amovetur; quod ſi vero hocce illinimentum tragacanthae mucilagine factum, radix hujus fraudis ſuſpecta frangenda & caries & depravatio interne inquirenda. Radices rhapontici, fruſtis rhei veri immixtae facile per colorem extus profundius brunum, intus ex albo & ſubluteo & ſtriis radioſis rubellis ex peripheria ad centrum percurrentibus variegatum, per ſa-

porem subvisidum & subdulcem magisque adstringentem ac per odorem debiliorem, discernuntur. Perennis, in Mongoliae ditione Chinensibus subjecta sponte crescens, ac uti dictum in Europa arte colitur. Icon rhei palmati L. vid. *Zorn.* tab. 255, rhei rhabarbari sive potius undulati tab. 418.

Radix rubiae tinctorum, Färberröthe, Krapp.

□ ⊙

Rubia tinctorum L. Cl. IV. ord. 1. Radix longa, ex truncuio nodoso, calamum anserinum crassis, lignosis fibris, exortis lateralibus obsessa, extus parenchymate pallide bruno, tenui obducta, intus rubra cum medulla rubicundiori, saporis subadstringentis aliquantulum amari. In officinis praesto sit a parenchymate lignoso, quantum fieri potest, liberata, ergo extus & intus eleganter rubra, rejiciatur nigrescens, maculis notata, cariosa, pulverulenta. Perennis, in Italia, Gallia, Helvetia spontanea, in Germania arte culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 326. *Zorn.* tab. 331.

Radix saponariae, radix saponariae rubrae, Seifenwurzel, rothe Seifenwurzel.

□ ⊙

Saponaria officinalis L. Cl. X. ord. 2. Radix digitum circiter minimum crassa, geniculata, ramosa, fibrosa, solida, extus recens vestita epidermide ex rubro flavescente, siccata vero ruffa, intus albidi vel ex albo flavescentis coloris, saporis primo subdulcis, subglutinosi

noſi, poſtea vero amaricantis ſubauſteri; cum aqua decocta & agitata, inſtar ſaponis ſpumeſcit. Saepe in officinis pro ſaponaria genuina ſive rubra, occurrit radix, lychnidis dioicae L. quae a quibusdam etiam ſaponaria alba appellatur, carente rubore facile diſcernenda; radices cucubali Behen L. (Lychnis ſylveſtris Blackw. tab. 286) etiam pro radicibus ſaponariae verae paſſim colliguntur & adhibentur. Perennis, in locis ruderatis, ad vias aggeresque, apud nos prope Lagam & prope Varenholz, flore albo ſponte habitat, & in hortis flore duplici & roſeo colitur. Icon vid. *Blackw.* tab. 113. *Zorn.* tab. 136.

Radix ſarſaparillae, radix ſaſſaparillae, radix ſarſae, Saſſaparillwurzel.

□

Smilax ſarſaparilla L. Cl. XXII. ord. 4. In noſtris pharmacopoliis ſolummodo praeſto ſunt radicis craſſae, longae, tuberoſae rami aliquot pedes longi, ad pennam usque anſerinam craſſi, fibris parvis amicti, tenaces, flexiles, facillime juxta longitudinem diſſindendi & diverſimode invicem complicati, qui foris aliquantulum rugoſi, longitudinaliter ſulcati & ex griſeo fuſci, interne albi apparent. Sapor ſubamarus, farinaceus & ſubviſcidus. Eligantur rami externe ex griſeo fuſci, interne albidi, in margine rubelle radioſi, pennae anſerinae craſſitie & facillime ſciſſiles; rejiciantur fragiles, duri, lignoſi, valde fibroſi, nigricantes, farinacei & carioſi. Advehuntur ex regno Peruano & Mexicano

cano, ubi frutex sponte crescit, in corbibus vel globosis, vel sphaericis, ibi externe optimi a fibris liberati rami sunt collocati, interne vero communiter viliores & ramenta. Rami cum trunculo adhuc connexi & laxe invicem colligati sub appellatione sarsaparilla de Honduras ad nos allati, minoris sunt virtutis. Icon vid. *Blackwell.* tab. 393. *Zorn.* tab. 560.

Radix scorzonerae, wilde Scorzonerwurzel, wilde Haberwurz, Natterwurzel.

□

Scorzonera humilis L. Cl. XIX. ord. 1. Longa radix, digitum aut calamum scriptorium crassa, lignosa, fragilis, annulata, foris ferruginea, intus alba, saporis subamari & recens lactescente succo praedita. Ne huic radici scorzonerae verae officinali, mere oleracea & in hortis culta scorzonera Hispanica L. substituas, quae recens foris nigra, pollicem crassa, carnosa & saporis dulcis est, siccata vero rugescit & sapore fere omni destituta evadit. Perennis, in pratis, pascuis, nemorosis indigena. Icon vid. *Zorn.* tab. 296.

Radix senegae, radix senekae, radix polygalae virginianae, Senekawurzel, Klapperschlangenwurzel.

⊙

Polygala senega L. Cl. XVII. ord. 2. Radix ex vertice nodoso ramosa, digitum fere longa, pennam anserinam crassa, lignosa, flexuosa, nodosa & articulata, crista membranosa utrique lateri adhaerente. Cortex radicis crassus, resinosus, flavescens epidermide

eine-

cinerea veſtitus, medullam cingit duram lignoſam & albam, quae iners eſt. Sapor primo farinaceus, mox ſubacidus & denique acris & amarus. Perennis, in Virginia, Penſylvania & Marilandia ſpontanea.

Radix ſerpentariae virginianae, virginiſche Schlangenwurzel.

⊙

Ariſtolochia ſerpentaria L. Cl. XX. ord. 5. Copia fibrillarum numeroſarum invicem complicatarum ex trunculo ſaepe particulis herbae adhuc inſtructo, nodoſo, praemorſo erumpentium; extrinſecus ex viridi brunei, intus pallidi vel flaveſcentis coloris, odoris aromatici, valerianae quodammodo ſimilis, camphoracei, ſaporis ejusmodi amaricantis, pungentis. Perennis, in America ſeptentrionali inprimis in Virginia habitans.

Radix ſpigeliae, Spigelienwurzel, indianiſche Nelkenwurzel.

Spigelia marylandica L. Cl. V. ord. 1. Radix ſimplex, inaequalis, fibrillis plurimis longis; odoris, mucidi, foetentis narcotici. Perennis, creſcens in Marylandia, Virginia & Carolina.

Radix ſquillae, radix ſcillae, Meerzwiebel, Mauszwiebel.

⊙

Scilla maritima L. Cl. VI. ord. 1. Bulbus pugni magnitudinis & ultra, pyriformis, ex ſquamis ſupra obtuſis, carnoſis, craſſis in latere utroque attenuatis

tis, nervoſis conſiſtens, aliisque vero exſuccis, membranaceis, tenuibus & lineatis tunicatus. Ex bulbi baſi prodeunt fibrae numeroſae, quae vero ante uſum cum ſquamulis effoetis praecidantur. Squamae externae vel rubrae vel albae ſunt, internae vero ſemper albae vel pallide virideſcentes. Bulbus ruber olim, etſi temere, albo efficacior aeſtimatus, ergo in medicina frequentioris uſus eſt. Radix recens tota ſcatet albo & viſcido ſucco, tam acri ut manibus pruritum, uſtionis ſenſum, quin veſiculas excitet, ſaporis acris eſt valde amari & nauſeoſi, odoris ferme nullius. Vel bulbus integer vel ſquamae ejus ſiccatae, fragiles, ac convexae, ſubpellucidae, intus glabrae ac lineatae, & maſticatae tenaces absque acrimoniae manifeſtae indiciis, valde amarae nobis divenduntur. Pharmacopola ſcillae bulbos integros & recentes ſibi procuret, & ipſe ſiccatione debita (vid. Part. II ſcilla ſiccata) ad uſus medicos praeparet. Bulbo vero deficiente ſquamae ſolidae, graves & ſaporis fortis eligendae; leves, exſuccae, ſapore carentes rejiciendae. Perennis, in Luſitania, Hiſpania, Sicilia, Normandia & Africa ſeptentrionali ſponanea, praecipue ex Hiſpania & Natolia ad nos advehitur. Icon vid. *Zorn.* tab. 380.

Radix taraxaci, radix dentis leonis, Löwenzahnwurzel, Pfaffenröhrchen, Butterblume, wilde Zichorie, Ochſenblume.

□ ⊙

Leontodon taraxacum L. Cl. XIX. ord. 1. Radix longa, digitum minorum craſſa, ramoſa, interdum vero

ro ſimplex, fibroſa, foris ſubfuſca, intus alba filo ligneſo trajecta, ſaporis amaricantis, recens ſucco turget lacteſcente. Perennis, in pratis, paſcuis & ad vias frequens. Icon vid. *Blackwell.* tab. 1 & 501. *Zorn.* tab. 59.

Radix tormentillae, Tormentillwurzel, Blutwurzel, Ruhrwurzel.

⊙

Tormentilla erecta L. Cl. XII. ord. 5. Radix nodoſo-tuberoſa, brevis, contorta, ſolidioris compagis, valde fibroſa, foris fuſca, interne ex flavo rubeſcens, ſaepe maculis lignoſis variegata, ſaporis conſtringentis & auſteri. Perennis, in ſylvis, pratis & paſcuis ſiccis frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 445. *Zorn.* tab. 358.

Radix valerianae ſylveſtris, radix valerianae minoris, Waldbaldrian, Katzenwurzel, Katzenwurzel.

□ ⊙

Valeriana officinalis L. Cl. III. ord. 1. Ex trunco brevi, oblongo ubique fibrae egrediuntur longae, pennam corvinam craſſae, divaricatae, teretes, tenaces, piloſae, recentes extus coloris ſordide pallidi, ſiccatae bruni in oleagineum vergentis, intus albidi ſplendentis, ac rite ſi collecta medullam cingit circulus pallidus vel virideſcens; ſaporis aromatici acris, & tandem ſubamaricantis & ſubadſtringentis, odoris gravis, penetrantis hircini & ſubnauſeoſi. Inter radiculas ſaepe oriuntur ſtolones pedales & longiores, ſimplices, recti vel ſe-

xuoſi

xuosi, geniculati, teretes nonnunquam rubentes, ad singulum articulum squama alba vestiti, qui stolones a radicibus separandi & rejiciendi. Saepe adulteratur radix valerianae genuina, radicibus varietatis foliis latioribus splendentibus in locis humidis ad fossas crescentis, quae vero crassiores, minus pilosae, magis lignosae, fragiles, extus e cinereo castanei vel bruni in flavedinem vergentis, intus vero obscurioris vel nigrescentis coloris, odoris magis nauseosi & debilioris, saporis non aromatici sed acrioris, & diffractae saepissime in medio cavae. Radices valerianae dioicae L. a radicibus sylvestris albedine distinguendae. Rejiciantur radices valerianae sylvestris, quae odorem spargunt moschatum, is enim ab inquinatione cum felium lotio exoritur. Radix colligi debet solummodo in locis siccis & montanis & evelli primo vere, antequam planta caulem emittit, per meram agitationem a squalore liberari & in loco sicco, umbroso, aëre perflato siccari. Ne virtus in auras evolet, perfecte siccata in vitro clauso arctissime compacta locoque in sicco & frigido servanda. Perennis, in locis siccis nemorosis & apud nos indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 271. *Zorn.* tab. 117.

Radix vincetoxici, radix hirundinariae, Schwalbenwurzel

□ ☉

Asclepias vincetoxicum L. Cl. V. ord. 2. E capite communi copia fibrarum gracilium, longarum & invicem complicatarum egreditur, coloris pallidi, odoris for-

Vid. Hamburgische Ostern 1794. Nr. 2. 156

fortis, nauseosi, siccatione plane pereuntis & saporis primo subdulcis, postea amaricantis, subacris. Planta perennis, in locis arenosis, montosis proveniens. Icon vid. *Blackw.* tab. 96. *Zorn.* tab. 265.

Radix zedoariae longae, Zittwerwurzel, langer Zittwer.

□ ⊙

An *Kaempferia rotunda L.?* an *Amomum zedoaria Bergii?* Radicis frusta plerumque aliquot pollices longa, & minimum digitum crassa, altera extremitate cultro transversim vel oblique dissecta comparent, altera in obtusam apicem desinentia, incurva, rugosa, angulosa, subinde tuberculis rotundis notata & compressa, externe pallide cinerei, interne e fusco rubelli vel obscure cinerei coloris, saporis aromatici, subamaricantis & subacris, camphorae similis, odoris penetrantis camphoraceae fragrantiae. Eligatur ponderosa, tenax, parum fibrosa, minime cariosa, intus obscure cinerea & maxime fragrans. Ex India orientali, praecipue ex Malabaria & Zeilonia, per Belgas advecta.

Radix zingiberis albi, weißer Ingber.

□ ⊙

Amomum zingiber L. Cl. I. ord. 1. Radicis segmenta nodosa, tuberosa, bipollicaria, sublobata, compacta & compressa, coloris externe albidi sive straminei, sive cinerei; intus solida, resinosa, ex rubro flava, saporis valde acris, fervidi & odoris grati aromatici. Rejiciantur frusta leviora, fragiliora, mollia, val-

de fibrosa & cariosa. Perennis, in India orientali & Africa occidentali spontanea; ex India orientali in Americam translata, praecipue hodie in Antillanis & Jamaica colitur atque exinde ad nos adportatur. Icon vid. *Zorn.* tab. 401.

II. Cortices, ligna, stipites.

Cortex angusturae, cortex augusturae, cortex angustinus, Angusturarinde,

Verosimile *Magnolia glauca L. Cl. XIII. ord. 4.* Radicis fruticula lineam usque ad quartam pollicis partem crassa, diffracta splendentia & resinosa, nunquam fibrosa, extus inaequalia & sulcata, ex fusco ochroleuca & albicantia, intus brunnea, saporis amari debilioris, subaloetici, aromatici, cinnamomei & subacris, odoris debilis aromatici, specifici nauseosi. Facile tritu, caveas igitur linteo super mortarium tecto, ne subtiliores corticis partes avolent, pulvis brevi post pulverisationem tempore flavus, deinde ochroleucus, odoris fortioris, saporis non ingrati. Arbor in America inprimis meridionali habitans, ex qua ad nos advehitur cortex.

Cortex aurantiorum, vid. mala aurantia.

□ ⊙

Lignum

Lignum Campechianum, lign. campeſcanum, lign. campechenſe, lign. braſilianum purpureum, lignum Sappan. Kampeſchenholz, Blauholz, Blutholz.

□ ⊙

Haematoxylon campechianum L. Cl. X. ord. 1. Praeſto eſt in fruſtis non minoris magnitudinis, communiter a cortice & alburno liberatis, ſolidis, compactis, ponderoſis, non facilibus diſſecatu, inaequalibus, extus ab aëris & aquae acceſſu cinereis, intus ſaturate rubris; longitudinaliter ſi diſſinditur, lineas exhibet longitudinales nigreſcentes & transverſas, laeves, nitidas bracteolas, transverſe vero ſi ſecatur, exhibet parvos, obſcure rubros, undulatos annulos. Lignum integrum odoris eſt nullius, raſum autem odorem ſpargit ſpecificum, maſticatum ſalivam imbuit colore ex rubro coeruleſcente & ſaporem habet ſubdulcem, adſtringentem denique ſubamarum. Sit recens & cum ſale alcalino vel vaporibus ſpiritus ſalis armoniaci volatilis expoſitum, color ipſius ruber in violaceum mutetur. Arbor in nova Hiſpania ſpontanea & nunc etiam in inſulas Domingo & Jamaicam translata. Icon vid. *Blackw.* tab. 493.

Cortex canellae albae, coſtus corticoſus. Weißer Zimmt, weißer Kaneel.

□

Canella alba L. Cl. XI. ord. 1. Cortex arboris internus in forma tubulorum convolutorum, ſolidus aſt fragilis, immixtis fruſtulis planioribus & craſſioribus,

extus ex albo flavus vel pallide cinereus rubellisque lineis notatus transversis, interne albicans, saporis acris aromatici, quodammodo caryophillacei, integer odoris nullius, ast contusus vel decoctus gratum spargit odorem aromaticum. Eligantur tubuli crassiores & pallidiores. Arbor in America praesertim in Jamaica & Carolina habitans.

Cortex cascarillae, cortex chacarillae, cortex eleutheriae, Kaskarillrinde, Schafarill, graue Fieberrinde.

⊙

Croton cascarilla L. Cl. XXI. ord. 6. Cortex prostat in fustis plus minusve convolutis, aliquot pollices longis & unam ad tres lineas crassis, solidis, ponderosis ac si franguntur aequalibus; extus vestitur epidermide e cinereo alba, saepissime rugosa, lineisque transversalibus notata, subinde etiam lichenibus stipata, qua derasa, cortex apparet pallide brunus, interne vero ferrugineus, sive obscure fuscus. Sapor amarus, acris, aromaticus, odor spontaneus debilis, cortex vero accensus vel recenter contusus odorem dat aromaticum moschatum. Eligatur ponderosus & diffractus particulis nitens resinosis. Frutex in regno peruano, in Jamaica, Florida & Bahamicis germinans. Icon vid. *Zorn.* tab. 595.

Cortex cassiae lignene, cortex xylocassiae, cortex canellae malabaricae, Kastienrinde, Mutterzimmt.

□ ⊙

Laurus cassia L. Cl. IX. ord. 1. Cortex pollicem latus, lineam crassus, vel planus vel convolutus, cor-

cortici cinnamomi acuti fimilis fed craffior, afperior & fo-lidior; diffractus non fibrofus fed aequalis & laevis, odoris & faporis cinnamomei fed debilioris & cum mucilagine & minus adftringentis, qua mucilagine in maſticatione & decocto, & fractura aequali a cinnamomo diſtinguendus. Eligatur ſitu non corruptus, coloris in rubrum vergentis, odoris & faporis fortis & maſticatus mucilaginem in ore relinquens. Arbor in Zeilona, Sumatra, Java, Malabaria & Martinica indigena. Icon vide *Zorn.* tab. 340.

Cortex chinae, cortex chinaechinae, cortex Kinkinae vel Quinquinae, cort. peruvianus, cort. febrifugus, Chinarinde, Fieberrinde, peruvianiſche Rinde.

□ ⊙

Cinchona officinalis L. Cl. V. ord. 1. Corticis trunci & ramorum fruſta plus minusve convoluta, magnitudinis circiter digiti minimi & duos vel tres pollices longa, ſicca, ponderoſa, fragilia, extrinſecus fuſca-ſcabra & communiter lichene albo vel cinereo hinc inde obducta, intrinſecus laevia & ferruginea ſive coloris cinnamomei, faporis ſubamari, ſubadſtringentis cum aliquo mucore & amaritie, odoris debilis, ſpecifice mucidi & ſubaromatici. Eligantur cortices tenues, convoluti, fuſci & lichene albo veſtiti, interne coloris cinnamomei aſt obſcurioris, ſolidi, ponderoſi & ſicciſſimi & qui ſi diffringuntur, neque fibroſi neque pulverulenti ſed aequales & punctis reſinoſis nitentes apparent colorisque cinnamomei; fruſta craſſiora & planiora, quae ejusmodi coloris, faporis & odoris ſunt genuini, & diffracta nec

fibrosi nec pulverulenti apparent & splendent, etiam bonae creduntur notae Bonitas corticis chinae etiam ex decocto aquoso dijudicatur; quod si dum calidum, rubicundo-brunum fistit colorem, frigidefactum vero pallescit in colorem bruno-flavescentem & sedimentum dejicit, corticis denotat probitatem. Rejiciantur vero strenue cortices externe glabri & quasi politi, nigri, pallide flavi vel rutilantes, tenaces vel fungosi, interne albidi vel cinerei, diffracti fibrosi, lignosi, in farinam dehiscentes, amarioris vel ferme nullius saporis, aut nauseosi, aut valde adstringentis. Pharmacopola nunquam emat a magnariis corticem peruvianum jam in pulverum redactum, adulterationis & depravationis semper maximopere suspectum occurrit interdum cortex chinae pulverisatus & subinde etiam integer, antea cum aqua decoctus, ergo viribus suis valde privatus, quae detestabilis fraus nullo alio modo detegendus, quam iterata decoctione aquosa ad censendam extracti gummosi quantitatem, cujus cortex non expilatus ad minimum largitur octavam partem; defectus mutationis coloris profundioris in decocto calido in pallidiorem simulac frigescit, hanc fraudem etiam denotat. Cortex chinae a Hispanis ad nos in farcinis, Zeronnas appellatis & ex pellibus confectis advehitur. Arbor in regno habitans peruano. Icon vid. *Zorn.* tab. 292.

Cortex chinae rubrae, cortex peruvianus ruber, rothe Chinarinde, Spanische Chinarinde.

□ ⊙

An etiam *a cinchona officinali L.* an ab alia arbore nondum est dijudicatum. Corticum frusta tres vel qua-

quatuor lineas craſſa & craſſiores, ab altero latere concava quidem, minime vero convoluta, quae ſi diffringuntur fibroſa apparent & manifeſte tria ſiſtent ſtrata, quorum primum, ſeu exterior cuticula, tenue, ſcabrum & rugoſum e rubro fuſcum, licheneque cinereo veſtitum, ſecundum, ſive cortex proprius, craſſius, ſolidius, coloris obſcurioris, fragile & reſinoſum, tertium, vel liber, lignoſum, fibroſum & coloris rubicundi; ſaporem habet chinae communis amariorem & magis adſtringentem. Qui in pulvere alinnde adportatur ob adulterationem valde verofimilem ſemper rejiciendus.

Cortex cinnamomi veri, ſive acuti, Zimmt, brauner Kaneel, Zimmtrinde.

□ ⊙

Laurus cinnamomum L. Cl. IX. ord. 1. Cortex tenuis, ſvix charta regali craſſior, in cannulam longam convolutus, lignoſus, levis, ſubtenax, diffractus fibras largiens, coloris ex rubicundo flavi, ſubinde in brunum inclinantis, ſaporis aromatici ſubacris, ſubdulcis cum levi adſtrictione, odoris gratiſſime fragrantis. Eligatur tenuis, flexilis, odoris ac ſaporis fortis ac qui maſticatus nil mucilaginoſi ſed aliquid lignoſi relinquit. Rejiciatur durus, craſſus, coloris ſaturate brunei, ſaporis valde pungentis & urentis, vel caryophillacei, auſteri, amari, viſcoſi. Arbor in Sumatra, Java, Malabaria & aliis Indiae orientalis regionibus, quoad corticem vero optime in Zeilona habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 354. *Zorn.* tab. 339.

Cortex citri, vid. mala citri.

□ ⊙

Stipites diervillae, Diervillenſtengel.

Lonicera diervilla L. Cl. V. ord. 1. Stipites graciles, pennam anſerinam craſſi, tenaces, ex bruno rubicundi, ſaporis & odoris naufeoſi. Frutex in America ſeptentrionali praeprimis in Canada habitans, etiam apud nos colitur. Icon vid. *Zorn.* tab. 424.

Stipites dulcamarae, ſtipites ſolani lignoſi, ſ. ſcandentis, Alfrankenſtengel, Bitterſüßſtengel, Nachtſchattenſtengel, Hundſichtrauſtengel.

⊙

Solanum dulcamara L. Cl. V. ord. 1. Stipites flexiles, pennam anſerinam & ſupra craſſi, plures pedes longi, ramoſi, glabri, lignoſi, juniorum cortex externe & interne viridis, adultorum & majorum e flavo bruneus vel e fuſco viridis, rugoſus & hiſcens; diſſecati primo annulum album tunc viridem & denique fiſtulam medullae ſpongioſae plenam monſtrant. Sapor primo ſubamaricans, deinde dulcis radicis polypodii ſapori ſimilis, odor mucidus, viroſus. Eligantur ſtipites juniores & medulloſi, colligantur ex ſtirpibus in locis ſiccis, montoſis habitantibus & tempeſtate ſicca, vere vel autumno, ac a foliis liberentur. Rejiciantur ſitu corrupti, exſiccati, ſaporis plane expertes. Quolibet anno recens colligi neceſſe eſt. Stirps fruteſcens ad ſepes, in fruticetis, in locis humidis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 34. *Zorn.* tab. 43.

Cortex

Cortex caulium Fraud. III n. 379

Stipites foliis ampli sed multo breviores, ligneus, ramosus, ramis longis et saepe adscendentibus

Cortex fraxini, Eſchenrinde, Wunderholzrinde, Aſchrinde,
□ ☉

Fraxinus excelſior L. Cl. XXIII. ord. 2. Cortex glaber, fragilis, extrinſecus cinereus in viridem vergens, punctis lucidioribus & gibbis notatus, interne ex albo flaveſcens, ſaporis amari & auſteri. Infuſum corticis aquoſum & ſpirituoſum laci obverſum pallide luteum exhibet colorem, deorſum autem viſum, vel intra oculum & opacum objectum collocatum, caeruleum. Eligatur cortex e ramis vetuſtioribus, ſaepe fiſſuris & ſulcis conſpicuus, & ab epidermide & lichene liberetur Arbor indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 328.

Lignum quajacum, lignum ſanctum, lignum indicum, Guajacholz, Pockenholz, Franzoſenholz.
□ ☉

Quajacum officinale L. Cl. X. ord. 1. Lignum compactum, ponderoſum, reſinoſum, ergo flammae admotum inflammabile, cortice veſtitum lineam ſupraque craſſo, ex pluribus quaſi ſtratis conſtructo facile diſcerpendis, extus ſcabro fiſſurisque variis maculisque ex livido griſeis notato, intus griſeo vel flavicante, alburno inſtructum pallide flavo & matrice dura reſinoſa, e nigro virideſcente. Ex patria advehitur in fruſtis plurium centenariorum, ob duritiem vero in Belgio & Anglia in ſcobem redigitur ſicque comminutum in officinis ſub nomine *raſura* vel *raſpatura* vel *ſcobs ligni quajaci* vel *ſancti* proſtat. Scobis longitudinaliter ſecta unius coloris vel ex viridi brunei vel undis obſoletis intenſioris coloris, punctisque nigris va-

riegati, vel flavicantis undisque pene nullis & punctis nigris paucis, transversim autem secta in media parte obscurius apparet quam in partibus exterioribus. Fragmenta minora aëri libero exposita colorem bruneum in caeruleo - viridescentem mutant. Sapor subacris & amaricans, odor nullus nisi calefactum vel ardens & tunc aromaticus. Eligatur ponderosius, coloris obscurioris, cortice adhuc adhaerente, facillime ardens & tunc resinam exsudans; rejiciatur lignum leve & coloris dilutioris. Lignum sanctum proprie alia species est, colore pallidiori flavo & nucleo tenui viridi minorique gravitate distinguenda, a viribus quajaci, pro quo interdum divenditur & cum quo saepissime mixtum est, non multum secedens. Arbor americana, in Jamaica, Domingo & pluribus insulis Indiae occidentalis spontanea. Icon vid. *Blackw.* tab. 350. *Zorn.* tab. 539.

Cortex hippocastani, Roßkastanienrinde, wilde Kastanienrinde.

□ ⊙

Aesculus Hippocastanum L. Cl. VII. ordo 1. Cortex peruviano similis, saporis amari, subadstringentis. Colligi debet cortex vere, nec ex ramis non nimis crassis vel vetustis, nec adhuc nimis teneris & alburnum adhuc adhaerens cultro auferendum. Arbor ex Asia septentrionali in Europam translata, ubi nunc in ambulacris vulgaris. Icon vid. *Zorn.* tab. 68.

Lignum

Lignum juniperi, lignum cedrinum, Wacholderholz, Kasingholz.

□ ⊙

Juniperus communis L. Cl. XXII. ord. 13. Lignum trunci, ramorum majorum, & radicis, sed ultimum ob majorem odoratum praeferendum, solidum, ponderosum, cortice cinereo cinctum, interne rubellum, odoris grati fragrantis, inprimis si comburitur & saporis aromatici, subacris resinosi. Frutex seu arbor in sylvis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 184. *Zorn.* tab. 178.

Cortex mezerei, cortex laureolae, Seidelbast, Kellerhalsrinde.

□

Daphne Mezereum L. Cl. VIII. ord. 1. Cortex ex trunco vel ramis majoribus deglutinatus tenuis, aliquo modo striatus, extrinsecus cuticula subtili cinerea in rubrum vergenti tectus, postea viridis, succosus & intrinsecus libro albo tenaci in fibras lineares sciffili obductus, primo vere colligendus. Vid. rad. mezerei.

Lignum quassiae, Quassienholz, Surinamisches Bitterholz.

□ ⊙

Quassia amara L. Cl. X. ord. 1. Lignum trunci & ramorum in fustis subcylindricis diversae magnitudinis & crassitiei, solidum & durum, leve, subalbidum vel pallidum, extus communiter cortice tenui aspero vel rugoso, ex albo cinereo, intus albicante, facile separando & friabili vestitur, qui subinde solus a medicis sub nomine *cortex ligni quassiae* praescribitur. Sapor admodum ama-

Quassia excelsa Schwartz. sive Picraena amara
Med. Observ. Critic. 1799 N 49 S 319.

amarus amygdalis amaris analogus. Eligantur fruſta majora, coloris albicantis & cortice inſtructa; rejiciantur ſegmenta tenuia, maculis fuſcis, cinereis, brunis, caeruleis vel atris notata; ſublinde ligno Rhois metopii L. adulteratum occurrit, cujus vero cortex glaber fortiter ligno adhaeret & hic vel illic maculis reſinoſis nigris variegatus apparet, lignumque ab aliquot guttulis ſolutionis vitrioli martis nigreſcit, quibus notis facile a ligno quaſſiae diſcernendum eſt. Arbor in Surinamia ſpontanea & in aliis inſulis americanis creſcens.

Cortex quercus, cortex quercinus, **Eichenrinde.**

□ ⊙

Quercus robur L. Cl. XXI. ord. 5. Cortex ramorum juniorum glaber, ſparſim lichene albo obſeſſus, extus coloris cinerei, intus dum deglubitur albi, accedente autem aëre vel humido rubeſcentis vel ruſſeſcentis, ſaporis amari, valde conſtringentis. Ramorum adultorum cortex & trunci dehiſcens & ſulcatus eſt, fere ubique lichene obductus albo & coloris brunei. Arbor apud nos vulgatiſſima. Icon vid. *Blackw.* tab. 487. *Zorn.* tab. 518.

Cortex ſalicis fragilis, **Bruchweidenrinde, Bitterweidenrinde, Knackweiden-Sprockweiden-Fieberweidenrinde.**

□ ⊙

Salix fragilis L. Cl. XXII. ord. 2. Ramorum annuorum cortex tenuis, glaber, nitens, externe recens haete viridis vel ex viridi flaveſcens vel rubeſcens vel ruſſeſcens, ſiccatus in brunneum vergens colorem, inter-

terne pallidus, saporis balsamici, amari, subacris, odoris subdulcis, balsamici, herbacei. Cortex ramorum adultiorum coloris est albicantis quodammodo nitentis, saporis parum balsamici & amari, magis vero adstringentis. Cortex colligendus est mense Aprilis & Maji ex arboribus junioribus in loco humido aut non in palude habitantibus, & in umbra aëre perflata siccandus. Arbor apud nos vulgaris.

Lignum sassafras, Sassafrasholz, Fenchelholz.

□ ⊙

Laurus sassafras L. Cl. IX. ord. 1. Lignum radicis prostans in frustis longis, levibus, compagis spongiosae, coloris ex albo ferruginei, odoris fragrantis ad foeniculum accedentis, saporis subdulcis, aromatici & subacris. *Cortice* instructum est lignum, qui etiam a medicis solus praescribitur, rugoso, spongioso, crasso, in strata tenuia discerpendo, extus ex cinereo fusci, intus ferruginei coloris, odoris & saporis fortioris. Rejiciantur ligni frusta grandiora, inodora & cortice plane destituta. Arbor in America septentrionali habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 267. *Zorn.* tab. 196.

Cortex simarubae, Simarubarinde, Ruhrrinde.

⊙

Quassia simaruba L. Cl. X. ord. 1. Radicis cortex in frustis ad nos advectus aliquot subinde pedes longis, aliquot pollices latis & usque ad totam lineam crassis, convolutis & longitudinaliter varie plicatis, compagis fibrosae & laxae. Levis, valde tenax, flexilis, extus

extus coloris albicantis brunei & protuberantiis rotundis, fibrarum succifarum reliquiis obsessus, epidermide pallidiori indutus, interne glaber, coloris dilutioris saepe membranulis libri vestitus, odoris nullius, saporis intense amari sine adstrictionis sensu. Decoctum aquosum quamdiu calidum, limpidum, flavum, frigidefactum vero turbidum & fuscum evadit. Rejiciatur cortex profunde bruneus vix amarus, minus tenax, vetustus, lignosus & eminentiis rotundis carens. Pars lignosa forte adhaerens ante usum, ut iners, abjiciatur. Arbor americana praecipue in Cayenna, Gujana, Domingo, Carolina & Jamaica crescens.

Viscus quernus, viscus quercinus, lignum visci, Eichenmistel Mistelholz.

□ ⊙

Viscum album L. Cl. XXII. ord. 4. Rami lignosi, cortice & foliis adhuc instructi, digitum minimum crassi, solidi, ponderosi, nodosi, cortice obscure viridi, siccato obscure cinereo vel e flavo fusco. Folia lanceolata, obtusa, crassa. Recens odorem habet nauseosum resinosum, saporemque leniter adstringentem, siccatione odor perit & sapor subamarus, aromaticus evadit. Vere ineunte colligi debet. Viscum vetustius praestat juniori. Flores & baccae rejiciendae. Frutex parasiticus arboribus variis praecipue vero quercui innascens. Icon vid. *Blackw.* tab. 184. *Zorn.* tab. 547.

Cortex

Cortex ulmi, Ulmenrinde, Rüſterrinde.

□ ⊙

Vimus campeſtris L. Cl. V. ord. 2. Cortex interior ligno proximus ramorum & trunci ex arboribus junioribus, tenax, glaber, coloris flaveſcentis, ſiccatione ruſſeſcentis, ſaporis mucilaginoſi ſubamari, ſubadſtringentis. Cortex exterus aſper dehiſcens bruneus ab interiori ſeparandus & abjiciendus. Arbor indigena v. c. prope montem Falkenbergenſem. Icon vid. *Zorn.* tab. 426.

III. Herbae, folia, gemmae, turiones.

Herba abrotani maris, ſ. hortenſis, Stabkraut, Eberrautenkraut, Gartheil, Abrand.

Artemiſia abrotanum L. Cl. XIX. ord. 2. Folia ramoſiſſima, ſetiſea, ex albido virideſcentia. Saporis amari aromatici, odoris balſamici, aromatici penetrantis. Fruticulus in Italia, Gallia, Carniola ſpontaneus apud nos in hortis colitur. Icon vid. *Blackw.* tab. 555.

Herba abſynthii vulgaris, gemeine Wermuthblätter.

□ ⊙

Artemiſia abſynthium Cl. XIX. ord. 2. Folia ſeſſilia; radicalia & caulina inferiora ſunt compoſita & multipartita, ſuperiora minora, lanceolata, & ſimplicia, coloris ſuperne ex viridi cinerei, infra argentei cinerei, odoris nauſeoſi, ſaporis valde amari. Colligitur cum floribus. Perennis, in ruderatis & ad vias creſcens ac in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 17. *Zorn.* tab. 34.

Herba

Herba acetoſellae recens, friſche Sauerkleeblätter, Herzklee, Bauampfer, Haſenkohl.

□

Oxalis acetoſella L. Cl. X. ord. 5. Folia petiolata, ternata, obcordata, ſubpiloſa, pallide virideſcentia, ſaporis acidi grati. Perennis, in ſylvis & ad ſepes umbroſas creſcens. Icon vid. *Blackw.* tab. 308. *Zorn.* tab. 9.

HERBA ACONITI, herba napelli, Eiſenhutblätter Sturmhutblätter, Mönchskappenblätter.

⊙

Aconitum napellus L. Cl. XIII. ord. 3. Folia ampla ter quater vel quinquies partita, magis vel minus laciniata & acuminata, quorum lacinia ultima inaequaliter trifida & omnes ſuperne linea notatae ſunt, glabra, petiolis extus convexis, ſtria ſurſum deſinente excavatis, deſuper magis rotundis & gracilibus, ſupra profunde viridia & nitida, ſubtus pallidiora, ſaporis amaricantis valdeque acris, recentia odoris, ſi teruntur, quodammodo viroſi. Rejicienda folia plantae in hortis cultae & floribus jam expanſis decerpta. Quum ergo in regione noſtra non indigena, ex iis locis herba arceſſenda, ubi ſponte creſcit. Perennis, in locis elatis, nemoroſis Auſtriae, Carinthiae, Sileſiae, Helvetiae, Hercyniae, prope Blankenburgum ſpontanea. Icon vid. Blackw. tab. 561. Zorn. tab. 49.

Herba

Herba agrimoniae, Ockermennig, Steinwurzelkraut, Leberklette.

□ ⊙

Agrimonia eupatoria L. Cl. XI. ord. 2. Folia ovata, ſerrata, pinnata, impari petiolato, mollia, piloſa, ſuperne profundius, infra dilutius viridia, odoris debilis aromatici ſiccatione pereuntis, ſaporis ſalſi, adſtringentis. Perennis, in pratis apricis, ad ſepes & vias indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 21. *Zorn.* tab. 206.

Herba anagallidis flor. phoeniceo, herba anagallidis maris, rother Gauchheil, rother Hunerdarm, rother Meier, Selmatkraut, rothe Mire.

□ ⊙

Anagallis arvenſis L. Cl. V. ord. 1. Folia ovato-lanceolata, integra, non petiolata, laete viridia, ſubtus punctata, odoris nullius, ſaporis primum oleracei, dein amaricantis ſubacris. Ante floris exortum colligenda, poſtea enim minus efficax. Cave ne cum herba alſines mediae commutetur, quae ovato-cordata, petiolata & ſubtus non punctata eſt; caulis anagallidis eſt quadrangulus & glaber, alſines vero piloſus & tenuis. Annua, in arvis & hortis crebra. Icon vid. *Blackw.* tab. 43. *Zorn.* tab. 145.

Folia aquifolii, Hülſendornblätter, Stechpalmenblätter, Palmenſtrichblätter.

□ ⊙

Ilex aquifolium L. Cl. IV. ord. 3. Folia ovata, acuta, ſpinoſa, coriacea, in pagina ſuperiori glabra, obſcure viridia & ſplendida, in inferiori languida & di-

lutius viridia, saporis amari. Arbor humilis sempervirens in collibus & sylvis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 305. *Zorn.* tab. 372.

Herba arnicae, Fallkraut, Wohlverleyblätter.

Arnica montana L. Cl. XIX. ord. 2. Folia ovata, integra, pilosa, supra saturate viridia, infra dilute virideſcentia, nervosa, saporis acris, subamari. Vid. flores arnicae.

Herba sive *folia asari*, Haselwurzblätter, Hasenöhrchen, wilder Nardus.

⊙

Asarum europaeum L. Cl. XI. ord. 1. Folia reniformia, obtusa, bina, longe petiolata, coriacea, venosa, superne profundius viridia & nitida, infra dilutius & in junioribus lanata. Vid. Radix asari.

Herba atriplicis olidae recens, stinkende Melde, Schmerbel, Mauzenkraut.

Chenopodium vulvaria L. Cl. V. ord. 2. Folia rhombeo-ovata, integerrima, parva, laete viridia, odoris ingrati, instar piscis salsi, & subputridi, saporis nauseosi. Annua, in locis ruderatis, fimetis & hortis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 100. *Zorn.* tab. 508.

Folia aurantiorum, Pommeranzenblätter.

□ ⊙

Citrus aurantium L. Cl. XVIII. ord. 3. Folia ovato-acuminata, tenacia, petiolis cordato-alatis, superne nitida, laete viridia, subtus pallidiora, recentia lucem

lucem versus conspecta, punctula pellucida produnt. Manu trita odoris sunt grate fragrantis, saporis subamari, subaromatici. Arbor origenis orientalis, nunc in australibus Europae regionibus culta & apud nos in hybernaculis. Icon vid. *Blackw.* tab. 349. *Zorn.* tab. 495.

Herba basilici majoris, groß Basilienkraut, Hirnkraut, Basilgram.

□

Ocymum basilicum L. Cl. XIV. ord. 1. Folia ovata, integerrima, laevia, petiolata, viridia saepissime in rubum vergentia, odoris grati aromatici majoranae similis, saporis ejusdem. Annua, in India orientali & Persia indigena, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 104. *Zorn.* tab. 226.

HERBA BELLADONNAE, Belladonnenblätter, Tollkrautblätter, Tollkirschenblätter, Waldnachtschattenblätter.

⊙

Atropa belladonna L. Cl. V. ord. 1. *Folia ovato-lanceolata, tenuia, plus vel minus magna, integerrima, juniora villosa, adultiora nuda, cum petiolo brevi, superne saturatius viridia, subtus pallidiora & pilosa, saporis & odoris ferme oleracei. Perennis, in sylvis caeduis habitans & apud nos in monte Falkenberg, in monte Büchenberg prope Detmoldiam & apud calcarias prope Lemgoviam. Ob vim deleteriam separate siccanda. Icon vid. Blackw. tab.* 564. *Zorn. tab.* 21.

Herba cardui benedicti, Kardobenedicten.

□ ⊙

Centaurea benedicta L. Cl. XIX. ord. 3. Folia oblonga, sinuata lobis acutis, denticulato-spinosa, venosa, aspera, profundius viridia, saporis intense amari. Annua, in Hispania & insulis Archipelagi sponte crescens, apud nos in hortis colitur. Icon vid. *Blackwell.* tab. 476. *Zorn.* tab. 122.

Herba cardui tomentosi recens, herba acanthii vulgaris, Kratzdistel, weiße Wegdistel, Krampfdistel, Zellblumenkraut.

Onopordum acanthium L. Cl. XIX. ord. 1. Folia magna, ovato-oblonga, acute sinuata, denticulato-spinosa, tomentosa, ideoque albo-viridia, saporis ingrate amari. Biennis ad vias & in locis ruderatis crescens. Icon vid. *Zorn.* tab. 359.

Herba centaurii minoris, Tausendgüldenkraut, Fieberkraut, rother Aurin.

⊙

Gentiana centaurium L. Cl. V. ord. 2. Folia ovato-lanceolata, integerrima, sessilia, ter nervosa, glabra, laete viridia, admodum amara. Summitates cum floribus ob minorem medicam virtutem rejiciendae. Annua, in locis montosis apricis crebra. Icon vid. *Blackw.* tab. 452. *Zorn.* tab. 154.

Herba chaerefolii recens, herba cerefolii, Kerbel, Körfel, Körber.

□ ⊙

Scandix cerefolium L. Cl. V. ord. 2. Folia triplicato-pinnata, tenerrima, glabra, obtuse lobata, languide

guide viridia, odoris peculiaris fragrantis, saporis grate subdulcis, aromatici. Annua, in Europa meridionali sponte, apud nos in hortis crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 236. *Zorn.* tab. 192.

Herba chamedryos, Edel-Gamander, Bathengel.

Teucrium chamedrys L. Cl. XIV. ord. 1. Folia ovato-cuneiformia, incisa, crenata, scabra, petiolata, profundius viridia, odoris subaromatici siccatione pereuntis, saporis amari subadstringentis. Perennis, in montosis Helvetiae, Silesiae, Bavariae, Thuringiae, Franconiae spontanea, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 180. *Zorn.* tab. 346.

Herba chamepithyos, herba ivae arthriticae, Schlagkraut, Feldzypresse.

Teucrium chamepithys L. Cl. XIV. ord. 1. Folia oblonga, trifida, linearia, integerrima, recentia subviscida, odoris resinosi, saporis amari. Annua, in montosis regionum meridionalium, in Saxonia, Silesia spontanea. Icon vid. *Blackw.* tab. 528. *Zorn.* tab. 120.

Herba chelidonii majoris recens, großes Schöllkraut, Schwalbenkraut.

☉

Chelidonium majus L. Cl. XIII. ord. 1. Alternatim pinnata cum impari, inaequaliter crenata, folio terminali majori, foliis quercuum similia, tenuia & mollia, coloris ex flavo dilute viridia, saporis amari & acris, odoris ingrati gravis. Recens succo scatet croceo acri. Vid. Radix chelidonii majoris.

HERBA CICUTAE TERRESTRIS,
herba conii, herba cicutae hortensis,
Schierlingskraut, Erdschierlingskraut, Gartenschierling.

⊙

Conium maculatum L. Cl. V. ord. 2. Folia petiolata, tripinnata aut quadripinnata cum impari, pinnis oppositis, foliolis lanceolatis, pinnatifidis, venosis, nudis, nitidis, supra saturate infra pallide viridia, trita odoris peculiaris virosi, lotio felium sive cantharidibus similis, saporis subdulcis, subacris. Caulis subrotundus, cavus, laevis, laete viridis maculis vero & punctis purpureis saepe scabriusculis satis dense adspersus, petioli parimodo leviter maculati & glabri. Ne confundas cum herba cicutae virosae L. cujus caulis minime maculatus, folia longiora & angustiora & statio ad fossas & in locis paludosis, vel cum hba aethusae cynapii L. cui vero involucrum & folia ex nigro viridia sunt, cum pagina inferiori nitidissima. Conio maculato simillimum est chaerophyllum bulbosum L. quod caule eodem modo maculato instructum, cujus vero petioli subhirsuti sic & folia, quae nitida & ad apicem pinnarum & laciniarum cartilaginea sunt, involucro communi etiam deficiente. Chaerophyllum sylvestre L. caule non maculato, involucro deficiente, foliis majoribus & longioribus dignoscendum. Omne conium maculatum, cujus herba, dum teritur, odore caret peculiari, inters creditur, ergo minime colligatur. Herba cicutae terrestris ante florum expansionem ex locis siccioribus colligenda

genda & bene ficcata in vaſis clauſis ſervanda. Biennis, in umbroſis, ad ſepes & vias, in locis ruderatis indigena. Icon vid. Blackw. tab. 451 & tab. 573 a. b. Zorn. tab. 48.

Herba cochleariae recens, Löffelkraut, Löffelkreſſe, Scharbockskraut.

□

Cochlearia officinalis L. Cl. XV. ord. 1. Folia radicalia cordato-ſubrotunda, longiter petiolata, folia caulina oblonga, ſubſinuata & ſeſſilia, ambo nitide viridia, ſuccoſa, saporis acris amari, ſalini, odoris ſi teritur peculiaris, balſamici acris. Ne colligatur pro cochlearia genuina herba chelidonii minoris, ſive ranunculi ficariae L. *teild Löffelkraut* dicta, cujus folia cordato-reniformia & ſapor minime acris & ſalſus, ſed ingrate amarus. Biennis, ad littora maris Europae ſeptentrionalis ſpontanea, apud nos in hortis colitur. Icon vid. *Blackwell.* tab. 227. *Zorn.* tab. 2.

HERBA DATURAE, herba ſtramonii, Stechapfelblätter, Stachelnußblätter, Igelkolbenblätter, Tollkraut.

Datura ſtramonium L. Cl. V. ord. 1. Folia magna, ovata, acuminata, angulosa, dentato-ſinuata, petiolata, venoſa, ſaturate viridia, odoris viroſi. Annua, in ruderatis, ad ſepes, ad vias, in ſimetis, ad foſſas ſpontanea, etiam in hortis culta. Icon vid. Blackwell. tab. 313. Zorn. tab. 286.

Herba digitalis, Fingerkraut, braunes Fingerkraut, Waldglöckchen, Fingerhutskraut.

⊙

Digitalis purpurea L. Cl. XIV. ord. 2. Folia ovato-lanceolata, petiolata, rugosa, leviter & inaequaliter crenata, majora, mollia, supra obscure viridia, infra pallidiora, subhirsuta, saporis ingrate amari & acris. Herba post expansionem florum colligenda. Biennis, in campis apricis, inprimis in sylvis caeduis Hercyniae habitans, & apud nos prope Bredam, in Schanzenberg prope Detmoldiam, prope Langenholzhausen. Icon vid. *Blackw.* tab. 16. *Zorn.* tab. 262.

Herba erysimi, herba verbenae faeminae, Wegsenfkraut, Wassersenfkraut, Hederich, Kreuzkraut, gelb Eisenkraut.

□ ⊙

Erysimum officinale L. Cl. XV. ord. 2. Folia inaequalis & irregularis formae, inferiora magna, utroque in latere lobata, lobis angulatis dentatis; superiora parva, hastata, dentata, sitacea, languide viridia, saporis salsi amari. Cum summitatibus florealibus colligenda. Annua, ad vias, in locis ruderatis, in agris creba. Icon vid. *Blackw.* tab. 28. *Zorn.* tab. 32.

Herba eupatorii, Wasserdosten, Wasserhanf, Hirschklee, Kunigundenkraut, Quäsel.

Eupatorium cannabinum L. Cl. XIX. ord. 1. Folia lanceolata, terna, decussata, petiolata, dentata, subpilosa, inaequilatera, mollia, saturate viridia, saporis amari subacris. Perennis, ad fossas & in locis aquosis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 110. *Zorn.* tab. 150.

Herba

Herba flammulae jovis, Brennkraut, Waldrebe.

Clematis erecta L. Cl. XIII. ord. 7. Folia inaequaliter pinnata, foliolis ovato lanceolatis, integerrimis, longiter petiolatis, obscurius viridia, subtus pallidiora, saporis acido-subdulcis, leniter constringentis, pungentis. Perennis, in Austria, in Bavaria, Silesia, Thuringia, ad sepes & in montanis habitans, apud nos in hortis colenda. Icon vid. *Zorn.* tab. 441.

Herba fumariae recens, Erdraute, Feldraute, wilde Raute, Taubenkerbel, Krätzkraut.

□ ☉

Fumaria officinalis L. Cl. II. ord. 2. Folia alternatim bipinnata, foliolis trilobatis, angustatis, subrotundis lanceolatis, mollia, tenerrima, ex languide coeruleo virideſcentia, odoris mucidi gravis, saporis amari paulisper acris. Annua, in agris hortisque frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 237. *Zorn.* tab. 14.

Herba gratiolae, Wildaurinkraut, Gottesgnadenkraut, Purgierkraut.

☉

Gratiola officinalis L. Cl. II. ord. 1. Folia oblonga, lanceolata, sessilia, serrata, nervosa, glabra, laete viridia, saporis valde amari subacris. Perennis, in pratis humidis Hannoverae, Holsatiae, Helmstadtii, Saxoniae. Icon vid. *Blackw.* tab. 411. *Zorn.* tab. 449.

Herba hederae terrestris, Gundermannskraut, Gundelrebe. Erdepheu.

□ ⊙

Glecoma hederacea L. Cl. XIV. ord. 1. Folia cordato-reniformia, crenata, glabra, petiolata, obscure viridia, odoris, dum recentia fricantur, fortis, balsamici, ingrati, saporis amari. Perennis, ad sepes, ad vias & in dumetis copiosa. Icon vid. *Blakw.* tab. 225. *Zorn.* tab. 93.

Herba helleborastri, herba hellebori foetidi, stinkende Nieswurzblätter, Wurmkraut.

Helleborus foetidus L. Cl. XIII. ord. 7. Folia pedata, longiter petiolata, foliolis lanceolatis, serratis, supra nitida, saturateque viridia, infra pallidiora, odoris foetidi, saporis amari. Perennis, in montosis & nemorosis Palatinatus, Nassoviae, Tubingae crescens, apud nos in hortis v. c. in horto arcis Detmoldiensis. Icon vid. *Blackw.* tab. 57. *Zorn.* tab. 452.

HERBA HYOSCIAMI NIGRI, Bilsenkraut, Schlafkraut, Zankkraut.

⊙

Hyosciamus niger L. Cl. V. ord. 1. *Folia amplexicaulia, oblonga, lata, acuminata, ample sinuata, crassa, mollia, pilosa, e cinereo dilute viridia, odoris virosi rancidi, saporis amaricantis salini. Biennis, ad vias, sepes, in ruderatis, fimosis habitans; v. c. apud nos in cimeterio Lagensi, prope oppidum Blomberg, vicum Wendlinghausen. Icon vid. Blackw. tab.* 550. *Zorn. tab.* 84.

Herba

Herba hyſſopi, Iſopblätter.

□ ⊙

Hyſſopus officinalis L. Cl. XIV. ord. 1. Folia lanceolata, anguſtata, integerrima, nervoſa, glabra, laete viridia, odoris fragrantis, ſaporis amari aromatici. Cum floribus non plane expanſis colligenda. Perennis, in Auſtria & Saxonia, ſic etiam apud nos prope oppidulum Schwalenberg, in locis ruderatis & muris ſponte creſcens, communiter in hortis colitur. Icon vid. *Blackw.* tab. 269. *Zorn.* tab. 61.

Herba jaceae officinalis, herba floris trinitatis, herba violae tricoloris, Freyſamkraut, Stiefmütterchen, Ackerveilchen.

□ ⊙

Viola tricolor L. Cl. XIX. ord. 6. Folia oblonga, anguſta, crenato-inciſa, petiolata, ſtipulis pinnatifidis, ſeſſilibus, ex flavo viridia, ſaporis mucilaginoſi. Annua, in agris ſiccis, hortis & paſcuis. Icon vid. *Zorn.* tab. 60.

HERBA LACTUCAE SYLVESTRIS, wilder Lattich, Leberdiſtel.

Lactuca ſcariola L. Cl. XIX. ord. 1. *Folia inferiora ſeſſilia, runcinato-ſinuata, venoſo-reticulata, ſubdentata, glabra, nervo autem paginae inferioris ſpinoſo; ſuperiora minus ſinuata, lanceolata & in nervo medio minus ſpinoſa, ambo in planta recenti verticaliter torta, coloris glaucini, odoris fortis mucidi, ſaporis amaricans-*

ricantis, acris, planta recens lacte scatet copioso. Planta junior caule inferiori aculeis tenellis obsessa, adhuc foliis instructa est oblongis denticulatis in planta adulta marcescentibus ac deciduis. Cave ne cum Soncho oleraceo L. ubique obvio, colore lacte viridiori & nervo non spinoso jam distinguendo commutes. Annua, in ruderatis, montosis siccis, in apricis, ad vias, ad agros, ad prata in Palatinatu, Saxonia, Austria & prope Goettingam, Isenacum, Helmstadtium.

Folia lauri, Lorbeerblätter.

□

Laurus nobilis L. Cl. IX. ord. 1. Folia lanceolata, integerrima, venosa, solida, supra saturate viridia, infra pallidiora, saporis amari aromatici & subadstringentis, odoris, dum fricantur, fragrantis. Arbor calidis regionibus Europae indigena, apud nos in hibernaculis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 175. *Zorn.* tab. 52.

FOLIA LAUROCERASI, Kirschlorbeerblätter.

⊙

Prunus laurocerasus L. Cl. XII. ord. 1. Folia lanceolato-ovata, dentata, crassa, glandulis binis in dorso instructa, saporis amari sapori amygdalarum amararum similis, trita odoris fragrantis uti nuclei persicae. Arbor Trapezunti indigena, apud nos in hibernaculis servata. Icon vid. Blackw. tab. 512. Zorn. tab. 96.

Herba

Herba linariae, Leinkraut, Frauenflachs, Feigwarzenkraut, Tafenkraut.

□ ⊙

Antirrhinum linaria L. Cl. XIV. ord. 2. Folia lanceolata, linearia, longa, angusta, sessilia, laete viridia, subtus pallidiora, odoris ingrati nauseosi, saporis subamari ingrati. Perennis, in locis ruderatis, ad vias, agros, & muros crebra. Icon vid. *Blackw.* tab. 115. *Zorn.* tab. 442.

Herba lini cathartici, Purgierlein, Purgierflachs, Berglein, Wiesenflachs.

□

Linum catharticum L. Cl. V. ord. 5. Folia ovato-lanceolata, sessilia, integerrima, glabra, laete viridia, saporis valde amari. Ne confundas cum herba ceraftii semidecandri L., foliis ovatis pilosis distinguenda, seu cum herbae lini radiolae L. quae planta lino cathartico minor & tenerior est, & petalis quatuor, totidem staminibus & totidem pistillis discernenda, linum catharticum autem partibus his quinariis instructum est. Annua, in pratis, pascuis indigena. Icon vid. *Zorn.* tab. 210.

Herba lysimachiae purpureae, herba salicariae, brauner Weiderich, rother Weiderich, Blutkraut, blauer Fuchsschwanz, Partite.

Lythrum salicaria L. Cl. XI. ord. 1. Folia cordato-lanceolata, integerrima, sessilia, subhirsuta, laete viridia, subtus dilutiora, saporis herbacei subadstringentis, mucilaginosi. Perennis, in locis humidis, ad ripas

ripas fossasque, in dumetis ndis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 520. *Zorn.* tab. 113.

Herba majoranae, Majoranblätter, Meiranblätter, Wurstkraut.

□ ⊙

Origanum majorana L. Cl. XIV. ord. 1. Folia parva, oblongo-ovata, obtusa, petiolo brevi, subtomentosa, integerrima, ex albo viridia, odoris peculiaris fortis, saporis aromatici, subacris amaricantis. Cum summitatibus florescentibus colligenda. Annua, in oriente indigena, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 319. *Zorn.* tab. 81.

Herba malvae vulgaris, Käsepappelkraut, Gänse-Hasen-Feltpappelkraut.

□ ⊙

Malva rotundifolia L. Cl. XVI. ord. 6. Folia reniformia orbiculata, obsolete quinque lobata, crenata, glabra, longiter petiolata, saepe subplicata, laete viridia, saporis mucilaginosi. Annua, ad vias ad sepes & in ruderatis creberrima. Icon vid. *Blackw.* tab. 22. *Zorn.* tab. 237.

Herba mari veri, Amberkraut, Katzenkraut, Mastixkraut.

□

Teucrium marum L. Cl. XIV. ord. 1. Folia parva, ovato-acuta, petiolata, integerrima, subrevoluta, subtomentosa, supra laete viridia, subtus incana, odoris fortis, volatilis camphoracei, saporis ferventis, amari acris. Cum floribus & tenellis ramulis colligenda

&

& in vaſe clauſo ſervanda. Fruticulus in Hiſpania indigena, apud nos in hortis & hibernaculis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 17. *Zorn.* tab. 60.

Herba marrubii albi, weißer Andorn, Marienneſſel, weiße Leuchte.

□ ⊙

Marrubium vulgare L. Cl. XIV. ord. 1. Folia ovato-oblonga, crenata, rugoſa, petiolata, mollia, craſſa, ſupra viridiora, infra albicantia, lanuginoſa, odoris, dum fricantur recentia, balſamici vinoſi vel moſchato ſimilis, ſaporis amaricantis ſubadſtringentis. Perennis, in locis ruderatis, ad ſepes, & vias indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 479. *Zorn.* tab. 27.

Herba matricariae, herba parthenii, Mutterkraut, Metterich, Mettram.

□ ⊙

Matricaria parthenium L. Cl. XIX. ord. 2. Folia plana, ex alternatis foliolis ovatis inciſis compoſita, tenera, mollia, ſubpiloſa, pallide viridia, herbae abſynthii ſimilia, odoris fragrantis ad illum polypodii & millefolii accedentis ſed nonnihil nauſeoſi, ſaporis valde amari. Cum floribus colligenda. Perennis, hinc inde in ruderatis & ad muros creſcens, plerumque vero in hortis flore pleno colitur. Icon vid. *Blackw.* tab. 192. *Zorn.* tab. 166.

Herba meliſſae, herba meliſſae citratae, Meliſſe, Citronenmeliſſe, Gartenmeliſſe, Immenblatt.

□ ⊙

Meliſſa officinalis L. Cl. ord. 1. Folia ſubcordata, vel ovata, ſerrata, breviter petiolata, ſubhirſuta, ſal-

XIV

sulcata, laete viridia & infra pallidiora, odoris citrini & saporis balsamici subacris. Perennis, in Europa australi spontanea, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 27. *Zorn.* tab. 134.

Herba melissae turcicae, türkische Melisse.

□

Dracocephalum moldavica L. Cl. XIV. ord. 1. Folia oblonga, saepe ex ovato lanceolata, anguitata, petiolata, serrata, bracteis longe ciliatis, viridia, saporis herbae melissae similis, sed odoris minus citrini. Annua, in Moldavia, Sibiria, Russia indigena, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 551. *Zorn.* tab. 294.

Herba menthae crispae, Krausemünze, Gartenmünze, Drumenthen.

□ ⊙

Mentha crispa L. Cl. XIV. ord. 1. Folia cordata, undulata, dentata, rugosa, hirsuta, sessilia, profunde viridia, odoris fortis balsamici, saporis subamari, aromatici urentis. Ab herba menthae sativae L., foliis hujus petiolatis, ovato-acutiusculis discernenda. Perennis, in Helvetia, Hercynia spontanea, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 290. *Zorn.* tab. 386.

Herba menthae piperitae, Pfeffermünze, englische Spitzmünze.

□ ⊙

Mentha piperita L. Cl. XIV. ord. 1. Folia oblonga-ovato, petiolata, supra glabra, sulcata, serrata, in nervis paginae inferioris subhirsuta, laete viridia, odoris

odoris fragrantis, fortis, saporis aromatici camphoracei, urentis & postea refrigerantis. Ne cum mentha viridi L. olim mentastrum dicta commutetur, cujus folia angustiora, sessilia & saporis debilioris; nec cum mentha sylvestri L. cuius folia etiam petiolo carent, & crassa, infra tomentosa; nec cum mentha aquatica L., cujus folia perfecte ovata, mollia & glabra, minorisque odoris & saporis sunt. Perennis, in Angliae locis humidis indigena, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 291. *Zorn.* tab. 56.

Herba millefolii vulgaris, Schaafgarbe, Schaafstrippe, Gerbel, Tausendblatt.

□ ⊙

Achillea millefolium L. Cl. XIX. ord. 2. Folia bipinnata lobulis dentatis, longa, sessilia, in pagina inprimis inferiori hirsuta, viridia, odoris balsamici, saporis subaromatici, subacris, subamari. Perennis, in montosis, ad vias, ad prata, & in pascuis crebra. Icon vid. *Blackw.* tab. 78. *Zorn.* tab. 29.

Herba nasturtii aquatici recens, Brunnenkresse, Wasserkresse.

□ ⊙

Sisimbrium nasturtium aquaticum L. Cl. XV. ord. 2. Folia pinnata cum impari, foliola cordato-subrotunda, crassa, succosa, glabra, laete viridia, saporis subacris, subamaricantis. Cave ne confundatur cum cardamine amara L., cujus foliola magis oblonga & angusta saporisque valde amari sunt. Biennis, ad fontes & rivulos indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 260. *Zorn.* tab. 144.

Herba nicotianae, herba tabaci, Tobackblätter.

□ ⊙

Nicotiana tabacum L. Cl. V. ord. 1. Folia lanceolato-ovata, magna, sessilia, integerrima, laete viridia, saporis acris, nauseosi, odoris peculiaris fortis & ingrati. Ne commutes cum aliis speciebus nicotianae, quae per folia petiolata distinguendae. Perennis, in America sponte, in Germania cultura crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 146. *Zorn.* tab. 252.

Herba origani, Doſtenkraut, braune oder rothe Doſte, Wohlgemuth.

□ ⊙

Origanum vulgare L. Cl. XIV. ord. 1. Folia ovata, parva, integerrima, breviter petiolata, in margine pilosa, laete viridia, foliis majoranae similia, odoris balsamici grati, saporis aromatici acris, subamaricantis. Perennis, in montibus & ad dumeta frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 280. *Zorn.* tab. 57.

Turiones pini, Kieferſproſſen, Kienbaumſproſſen, Fohrenſproſſen, Fichtenſproſſen.

□ ⊙

Pinus sylvestris L. Cl. XXI. ord. 8. Amenta tenera, nondum expansa, extrinsecus squamis tenuibus, siccis, russis tecta, interne viridia, fragilia, attactus resinosi, odoris grati, saporis balsamici amari. Ne confundas cum turionibus pini abietis L. vel pini piceae L. vel cum propaginibus foliosis vel cum strobulis pinus sylvestris ipsius. Arbor in sylvis cognita. Icon vid. *Blackw.* tab. 190. *Zorn.* tab. 526.

Herba

Herba plantaginis latifoliae ſive vulgaris, breite Wegbreitblätter, großer Wegbreit, großer Wegerich.

Plantago major L. Cl. IV. ord. 1. Folia oblongo-ovata, longe petiolata, ſubcraſſa, glabra, ter, quinquies, ſepties nervoſa, ſaepe integerrima, interdum obtuſe dentata, profundius & ſubtus pallide viridia, ſaporis ſubadſtringentis, amaricantis, ſalini. Perennis, ad vias & in locis incultis creberrima. Icon vid. *Blackw.* tab. 35. *Zorn.* tab. 230.

Gemmae ſive *oculi populi balſamiferae*, Balſampappelknoſpen, Balſamenknoſpen.

☐ ☉

Populus balſamifera L. Cl. XXII. ord. 7. Noduli oblongi e ſquamis imbricatis, ruſſis & foliolis revolutis conſiſtentes, variae magnitudinis, ſucco reſinoſo, tenaci, luteo, gratiſſimi balſamici, aromatici odoris, ſaporis amari & ſubacris. Colligantur vere & aeſtate confirmata, quando ſucci & odoris dicti maxime divites ſunt. Gemmis populi nigrae majores & reſinoſiores. Arbor in America ſeptentrionali & Sibiria indigena, nunc etiam apud nos copioſe culta. Icon vid. *Zorn.* tab. 303.

Herba pulegii, Poleyblätter, Herzpoley.

☐ ☉

Mentha pulegium L. Cl. XIV. ord. 2. Folia ovata, obtuſa, parva, ſerrata, breviter petiolata, viridia, odoris fragrantis, ſaporis ſubamari, acris. Ne colligatur pro pulegio mentha arvenſis, per folia majora & latiora & locum natalem in agris & campis arenoſis

distinguenda. Perennis, in Anglia, Gallia, Helvetia spontanea, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 302. *Zorn.* tab. 490.

Herba pulsatillae nigricantis recens, Schwarzküchenschelle, kleine Osterblume, schwarze Windblume.

Anemone pratensis L. Cl. XIII. ord. 7. Folia bipinnata foliolis bi - vel trifidis angustis, pilosa, cum petiolo longo, fericeis pilis obsesso & ex stipulis longis, crassis, albis, vaginalibus proveniente. Flos pendulus, hirsutus, petalis reflexis, coloris profunde violacei, ferme nigricantis, pedunculo tenui, longo, pilis albis, mollibus, nitidis, ac supra multis circiter pollicem longis, angustis, in acumine fissis, verticillatim assurgentibus foliis obsesso. Odor nullus, sapor recentium acris, mordax, siccatione vero in herbaceum amaricantem, cum acrimonia debili mutabilis. Herba colligi debet cum floribus. Ne confundas cum anemone pulsatilla L., cujus flos minus nutans, patentior, cum petalis rectis, coloris dilutioris, hirsutior, cum pedunculo etiam hirsutiori, ita ut folia caulina longiora minus in conspectum veniant. Perennis, in campis apricis, siccis v. c. in ericetis Luneburgicis ad Albim, prope Brunsvigam, Hamburgum, Lubekam. Icon vid. *Zorn.* tab. 76.

Herba pyrolae, Wintergrün, Waldmangold.

Pyrola rotundifolia L. Cl. X. ord. 1. Folia subrotunda, integra, petiolata, crassa, glabra, nitide viridia, saporis constringentis subamari. Perennis, indigena, in sylvis & sepibus umbrosis crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 594. *Zorn.* tab. 193.

Folia

Folia quercus, folia quercina, **Eichenblätter.**

□ ⊙

Quercus robur L. Cl. XXI. ord. 5. Folia oblonga, ſuperne latiora, ſinuoſa, ſinubus acutioribus, angulis obtuſis, petiolata, glabra, laete viridia, ſaporis auſteri, conſtringentis. Vere decerpenda ſimulac progerminant. Vid. cortex querci.

Herba rhododendri officinalis, **Schneeroſenblätter.**

Rhododendron chryſanthum Pall: olim *Rhododendron maximum L. Cl. X. ord.* 1. Folia ovata, obtuſa, rigida, margine acuto reflexo, petiolata, ſupra hirſuta & laete viridia, ſubtus dilutiſſime ferruginea, venoſo-reticulata, ſaporis auſteri, conſtringentis, amaricantis. Cum ramulis brunis, pennae corvinae & ultra craſſis colliguntur. Cave ne ſubſtituatur rhododendrum ferrugineum L. cujus folia multo minora, magis lanceolata & ſubtus dilute ferruginea, aſt non venoſo-reticulata ſed punctata ſunt, etiam ſaporis minus adſtringentis. Frutex in rupibus Dauriae, Sibiriae & Virginiae indigena. Icon vid. *Zorn.* tab. 324.

Folia rorismarini, ſ. anthos, **Rosmarinblätter.**

□ ⊙

Rosmarinus officinalis anguſtifolia L. Cl. II. ord. 1. Folia linearia, anguſta, ſeſſilia, marginibus reflexis, ſupra in medio ſulcata, ſaturate viridia, infra in medio nervoſa, incana & tomentoſa, odoris fragrantis, ſaporis acris, amari, camphoracei. Frutex in Hiſpania, Gallia, Italia, ſpontaneus, apud nos in hortis & hibernaculis cultus. Icon vid. *Blackw.* tab. 159. *Zorn.* tab. 318.

Herba rorismarini sylvestris, Postenblätter, Kühnroßblätter, Porschblätter, Harrheide, Brauerkraut, Wanzenkraut, Gichttannen.

⊙

Ledum palustre L. Cl. X. ord. 1. Folia linearia, foliis rorismarini similia, breviter petiolata, supra nitide & profunde viridia, infra lana ferruginea obducta, odoris subaromatici, nidorosi, ingrati, saporis amaricantis subadstringentis. Cave ne substituatur herba andromedae polifoliae L. foliis latioribus, acuminatis, subtus glaucis, & plane inodoris dignoscenda, nec folia polygalae chamaebuxi, cujus folia ovata, lanceolata sunt, nervo aristato. Fruticulus, in uliginosis, turfosis locis v. c. Bavariae, ducatus Lauenburgici, Holsatiae, prope Hannoveram, Goettingam, Bremam habitans. Icon vid. *Zorn.* tab. 571.

Herba rutae, herba rutae hortensis, Rautenblätter, Weinrautenblätter, Kreuzraute, Rute.

□ ⊙

Ruta graveolens L. Cl. X. ord. 1. Folia decomposita foliolis cunei-formibus, petiolata, ex languide caeruleo viridia, vel glauca, odoris peculiaris balsamici, ingrate vaporosi peculiaris, saporis acris amari, subaromatici. Pro asservatione vere & iterum autumno confirmato colligenda, siccata enim mox odorem, saporem & vires amittit. Suffrutex in Helvetia spontaneus, apud nos in hortis cultus. Icon vid. *Blackw.* tab. 7. *Zorn.* tab. 163.

Folia

Folia sabinae, Sevenbaumblätter, Sadebaumblätter.

⊙

Juniperus sabina L. Cl. XXII. ord. 13. Folia lanceolata, cauli adpressa, alterne conjugata, crassa, brevia, in basi connata, profunde viridia, odoris gravis narcotici, resinosi, saporis resinosi amari, acris. Frutex in Italia, Helvetia & Sibiria spontaneus, apud nos hortensis. Icon vid. *Blackw.* tab. 214. *Zorn.* tab. 525.

Herba salviae, herba salviae minoris, Salbeyblätter, pihe oder Kreuzsalbeyblätter.

□ ⊙

Salvia officinalis L. Cl. II. ord. 1. Folia lanceolato-ovata, subtiliter crenata, crassa, papillosa, ex griseo coeruleo viridescentia, odoris fortis aromatici, saporis subadstringentis. Ante siccationem momentanea abluitione in aqua frigida a pulvere & aliis quisquiliis superficiei papillosae facile adhaerescentibus, purganda. Fruticulus in Europa australi spontaneus, apud nos in hortis hospitatur. Icon vid. *Blackwell.* tab. 71. *Zorn.* tab. 163.

Herba scordii, Lachenknoblauch, Scorbienkraut, Wasserbathennig, Wassergamander.

□ ⊙

Teucrium scordium L. Cl. XIV. ord. 1. Folia oblonga, subhirsuta, dentato-serrata, sessilia, profunde viridia, recentia odoris alliacei, subaromatici, saporis valde amari & acris. Perennis, in locis uliginosis v. c. prope Lemgoviam in campis sic dictis Butterkaempe indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 475. *Zorn.* tab. 36.

Folia sempervivi recentia, herba sedi majoris, groß Hauslauch, Hauswurzkraut, Dachwurzkraut, Donnerkraut.

□

Sempervivum tectorum L. Cl. XI. ord. 6. Folia ovato-acuminata, ciliata, crassa, concava, succosa, in apice rubella, laete viridia, conglutinata rosam plenam fingentia, succum continentia acidulum austerum, in spiritu vini in massam albam mucilaginosam congelantem. Perennis, in tectis, muris, & rupibus crescit. Icon vid. *Blackw.* tab. 366. *Zorn.* tab. 124.

Folia sennae alexandrinae, Sennesblätter.

□ ⊙

Cassia senna L. Cl. X. ord. 1. Folia subovata, acuminata, quartam pollicis partem lata, & ferme integram pollicem longa, tactu molliuscula, in medio nervosa, coloris viridis in luteum vergentis, odoris peculiaris quodammodo nauseosi, saporis amaricantis subacris, viscidi, ingrati. Folia maculata, comminuta, impura, prorsusque flava, tanquam corrupta & inertia rejicienda. Minoris virtutis est *senna tripolitana*, cujus folia majora, minus acuminata, elegantius viridia & tactu subhirsuta sunt. *Arabica* sive *mochamica senna* etiam minus efficax & foliis longioribus, angustioribus & acutioribus distinguenda. Vilior tribus his speciebus est *senna italica* vel *provincialis*, cujus folia latiora, obtusiora, tenuiora, nervisque pluribus conspicua, fragiliora, coloris laete virentis, saporis subdulcis & glutinosi. Foliis sennae inprimis italicae interdum intermixta oc-

Fol senna persica Hayne I 333

occurrunt folia coluteae arborescentis L., quae vero figura cordata & emarginata facile dignoscenda sunt. Annua, in Aegypto superiori habitans.

Herba serpilli, Quendel, Feldpoley, wilder Thymian, Kundelkraut.

□ ⊙

Thymus serpillum L. Cl. XIV. ord. 1. Folia ovata, plana, glabra, basi ciliata, ferme sessilia, parva, viridia, odoris balsamici grati, ad citrinum inclinantis, saporis aromatici subamari. Cum summitatibus florealibus colligenda. Suffrutex, in locis campestribus, collibus apricis & aridis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 418. *Zorn.* tab. 17.

Herba tanaceti, Rheinfahrenkraut, Kraftkraut, Wurmfahren, Revierkraut.

□ ⊙

Tanacetum vulgare L. Cl. XIX. ord. 2. Folia bipinnata, plana, oblonga, foliolis oblongis, incisis, serratis, ac stipulis parvis acutis, dentiformibus, albis ac tenerrimis pilis obsessa, in superficie multis minimis cavis punctis notata, laete saepe nitide profunde viridia, odoris fortis, camphoracei balsamici, saporis amari aromatici. Perennis, ad agros, muros, fossas, in locis incultis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 464. *Zorn.* tab. 246.

Herba taraxaci recens, herba dentis leonis, Löwenzahnkraut, Pfaffenblatt, Pfaffenröhrchen, wilde Zichorie, Ochsenblumenkraut, Butterblumenkraut.

□ ⊙

Leontodon taraxacum L. Cl. XIX. ord. 1. Folia runcinata, denticulata, laevia, optime viridia, saporis subamari. Perennis, ad vias, sepes, in pascuis, pratis & hortis vulgatissima. Icon vid. *Blackw.* tab. 1. & 501. *Zorn.* tab. 69.

Herba trifolii fibrini sive aquatici, Bitterklee, Fieberklee, Wasserdreyblatt, Sumpfklee, Wasserklee, Klappe.

□ ⊙

Menyanthes trifoliata L. Cl. V. ord. 1. Folia ovato-oblonga, longiter petiolata, ternata, glabra, integerrima, majora, laete viridia, odoris subfoetentis, saporis insigniter amari. Perennis, in locis paludosis, pratis udis, in fossis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 541. *Zorn.* tab. 13.

Herba tussilaginis, herba farfarae, Huflattig, Brandlattig, Roßhuf, Ohmblätter, Erdrose, Quirlkraut, Ackerlattig.

□ ⊙

Tussilago farfara L. Cl. XIX. ord. 2. Folia subcordata, angulata, dentata, majora, supra dilute viridia, infra lanuginosa incana, saporis subamari, viscidi & subausteri. Perennis, ad fossas & in agris argillaceis & humidis crebra. Icon vid. *Blackw.* tab. 204. *Zorn.* tab. 64.

Folia

Fac. taxi. Zorn 530

E

Folia verbasci, Wollkraut, Königskerzenblätter, Kerzenkraut, Himmelskerzenblätter, Fackelkraut, Wullich.

□ ⊙

Verbascum thapsus L. Cl. V. ord. 1. Folia longa, ovato-lanceolata, obsolete dentata, mollia, crassa, ex griseo viridia, utrinque lanuginosa, saporis herbacei subamari, subadstringentis. Biennis, in montosis, arenosis, ruderatis, vervactis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 502. *Zorn.* tab. 197.

Herba verbenae, Eisenkraut, Eisenhart, Taubenkraut, Hahnenkampf.

□

Verbena officinalis L. Cl. II. ord. 1. Folia oblonga, multifido-laciniata, sessilia, profunde viridia, saporis subadstringentis, amaricantis. Annua, ad vias & sepes ac in locis ruderatis. Icon vid. *Blackw.* tab. 41. *Zorn.* tab. 38.

Herba veronicae, Ehrenpreiß, Kätzerkraut, Wundkraut, Viehkraut, Grundheil.

□ ⊙

Veronica officinalis L. Cl. II. ord. 1. Folia oblongo-ovata, serrata, subhirsuta, languide viridia, saporis amaricantis, subadstringentis. Folia a ramis decerpenda & siccanda, mos cum ramulis fasciculatim ligata siccandi, herbam corrumpit. Perennis, in sylvis, pascuis siccis, ericetis vulgaris. Icon vid. *Blackw.* tab. 143. *Zorn.* tab. 114.

Herba

Herba virgae aureae, herba consolidae sive solidaginis saracenicae, heydnisch Wundkraut, Goldruthe, Guldenwundkraut, Machtheil.

□

Solidago virga aurea L. Cl. XIX. ord. 2. Folia elliptico-lanceolata, infra serrata, longiter petiolata, nervo medio arcuato, dilute viridia, saporis amaricantis, subaromatici, leviter adstringentis. Ne confundas cum herba lysimachiae luteae, (lysimachiae vulgaris L.) cujus folia latiora, ferme sessilia, subhirsuta, & supra profunde, infra dilute viridia sunt. Perennis, in sylvis siccis & dumetis frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 169. *Zorn.* tab. 385.

Herba urticae minoris, Eiterneſſel, Haberneſſel, kleine Brennneſſel.

□ ⊙

Vrtica urens L. Cl. XXI. ord. 4. Folia ovata, duplicato-serrata, longiter petiolata, pilis urentibus inprimis pagina inferiore instructa, profunde viridia. Annua, in hortis, ad sepes, vias, in ruderatis, fimetis creberrima. Icon vid. *Zorn.* tab. 465.

♀ *Folia uva ursi*, Sandbeerenblätter, Bärentraubenblätter, Steinbeerenblätter.

□ ⊙

Arbutus uva ursi L. Cl. X. ord. 1. Folia oblongo-ovata, basi angustiori, apice saepe obtuso-rotunda, glabra, reticulatim & subtiliter venosa, integerrima, mar-

margine pauliſper reflexo, craſſa, ſolida, breviter petiolata, ſupra profunde & nitide, infra dilute & pallide viridia, ſaporis grati amari, ſtyptici, odoris glycyrrhizini. Folia vitis idaeae ſaepe uvae urſi foliis ſubſtituuntur, foliis vero majoribus, latioribus, magisque ovatis & infra crebrioribus parvis, nigreſcentibus punctis notatis facile diſcernenda. Fraudulenta commutatio cum foliis buxi ſempervirentis, foliis hujus ovatioribus vel rotundioribus, minus profunde viridibus, nec reticulatim venoſis, minusque craſſis & ſolidis, odore dum recentia foetido, ſapore ſubamaro, nauſeoſo, minime ſtyptico dignoſcenda eſt. Frutex ſempervirens, in ſylvaticis, montoſis, ericetis, Bavariae, Auſtriae, Haſſiae, Bremenſibus, Hannoveranis, inprimis prope Cellam, habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 592. *Zorn.* tab. 62.

IV. Flores, florumque partes.

Flores acaciae, flores acaciae noſtratis ſive acaciae germanicae, Schlehenblüthen, Schlehenblüthen, Schwarzdornblüthen.

□ ⊙

Prunus ſpinoſa L. Cl. XII. ord. 1. Corolla breviter petiolata, petalis quinque albis, ſubrotundis, emarginatis, cum perianthio monophyllo, quinquefido & reliquis fructificationis partibus. Odor ſuavis, ſapor ſubamarus. Frutex in dumetis, ſepibus & locis apricis copioſus. Icon vid. *Blackw.* tab. 494. *Zorn.* tab. 4.

Flores

Flores arnicae, flores arnicae plauenſis, Fallkrautblumen, Wohlverleyblumen, Stichkraut- Blattrieb- Greß Luciapekrautblumen.

□ ⊙

Arnica montana L. Cl. XIX. ord. 2. Corollae compoſitae radiatae floſculi radii, longi, anguſtati, ſubaequales, patentes, tridentales, quorum ſinguli filamenta quinque antheris carentia & ſtylum unicum intra tubulum recondunt, & floſculi diſci hermaphroditi, tubuloſi, plerumque trifidi, parte ima pappoſi. Color ſaturate luteus, odor, inprimis dum teruntur, ſubbalſamicus, ſapor amarus, acris cum dulcedine. Conyza media ſive inula dyſenterica L. vel arnica ſuedenſis, cujus flores interdum floribus arnicae ſubſtituuntur, per inflorescentiam panniculatam, quum arnica uniflora ad ſummum bi- vel triflora eſt, per perianthium imbricatum cum ſquamis ſitaceis, ſquarroſis, quum perianthium arnicae ex ſquamis lanceolatis, aequalibus, hirſutis conſiſtit & per flores multo minores & hermaphroditos infundibiliformes plerumque quinquefidos diſtinguitur, & folia inulae dyſentericae ſunt cordato- oblonga, amplexicaulia, arnicae vero ovata vel oblonga, baſi libera. Flores inulae ſalicinae L. etiam cum floribus arnicae confunduntur, floribus hermaphroditis infundibiliformibus, calycinis ſquamis anguſtis & patentibus & foliis lanceolatis, amplexicaulibus, recurvis, ſerrato- ſcabris diſtingui poſſunt. Flores hypochaereos maculatae L. etiam pro floribus arnicae ſurrogantur, per flores hermaphroditos ligulatos quinque dentatos, calycem ſubrotundum, infra ventri-

co-

cosum, squamis lanceolatis, acutis, nigrescentibus dignoscendi, praeterea haec planta per caulem se distinguit simplicem subnudum & folia obsolete dentata, saepissime maculata. Vid. radix arnicae.

Flores balaustiorum, Granatenblüthen.

□

Punica granatum L. Cl. XII. ord. 1. Flores communiter pleni, interdum vero simplices quinque petalis e roseo spadiceis, calyce quinquefido obscure viridi cincti, saporis adstringentis. Eligantur majores, optime & profunde rubri, paucis calycibus & ungulis mixti. Arbor frutescens in Asia & Africa, Hispania, Italia, Helvetia, Carniolia habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 97. & 145. *Zorn.* tab. 270.

Caryophylli aromatici, Gewürznelken, Nelkennelken.

□ ⊙

Caryophyllus aromaticus L. Cl. XIII. ord. 1. Flores cum perianthiis nondum expansi, siccati, coloris extus atro-rufi, intus obscure brunei, clavi speciem simulantes, ex globulo constantes a calyce floris & corolla formato, & germine infero subtereti, pollicem vix longo, ad basin nonnihil angustato, & obducto ab alio calyce crassiore supra quadripartito. Globulus superior facile deciduus saepe caret. Odor fortis, gratus, peculiaris, sapor acris aromaticus, subamarus, fervens, diu in lingua perseverans. Rejiciantur rugosi, leves, molles, sordidi, pallidiores, sapore & odore destituti; eligan-

guntur egregie ruffi, grandes, ponderosi, fragiles, ungue pressi sive sauciati, aliquid olei exsudantes, colorisque intus purpurei. Arbor praecipue in insulis Moluccis habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 338. *Zorn.* tab. 315.

Flores cassiae, calyces cassiae, clavelli canellae, Zimmtkelche, Zimmtnelken, Zimmtblüthen.

□ ⊙

An Laurus cinnamomum L.? an *Myrtus caryophyllata?* an *Laurus Cassia?* Flores nondum explicati siccati, coloris fusci sive profunde ferruginei, clavulos duarum vel quatuor linearum, obscure dentatos referentes, capitulis calyce nondum explicato sexies crenato vestitis & circiter seminis cannabis vel piperis nigri magnis ac caudis instructos, quibus saepe subest pedicellus brevis ac gracilis; intra capitulum, quod calyx sive corolla constituit, conspicitur corpusculum rotundum umbilicatum, quod pistilli rudimentum videtur. Odor & sapor cinnamomeo similis, sed moderatius acris & aromaticus. Oleo jam privati & integris intermixti, colore pallidiori & debiliore sapore & colore dignoscendi.

Flores chamomillae romanae, flores chamaemeli nobilis, Römische Kamillenblumen, edle Kamillen, Gartenkamillen.

□

Anthemis nobilis L. Cl. XIX. ord. 2. Corolla composita radiata cum calyce communi corollae aequali; flores radii albi, ligulati, ter dentati, & flores disci flavi tubulosi, floribus matricariae chamomillae admodum simi-

fimiles, fed difco minus conico potius plano, ac receptaculo paléaceo diftinguendi. Odor fortior & fragrantior, fapor amarior. Rejiciendi flores pleni five multiplices, difco, in quo primaria vis, ferme in totum deftituti. Perennis, in agris & pratis Europae auftralis & in Germania v. c. in Silefia & prope Tubingam fpontanea, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 526. *Zorn.* tab. 161.

Flores chamomillae vulgaris, flores chamomillae noftratis, Kamillen, gemeine Kamillen, Feldkamillen, Hermelchen, Romeyblumen.

□ ⊙

Matricaria chamomilla L. Cl. XIX. ord. 2. Corolla compofita radiata cum calyce; flores radii albi, patentes; flores difci flavi, tubulofi, in conum complicati, receptaculo nudo. Odor valde fragrans, fapor amarus. Cave ne cum fimilibus chryfanthemi leucanthi L. floribus, qui majores funt & plane inodori; anthemidos arvenfis L., qui odore debiliori, minus grato & paleis feticeis in difco, anthemidos cotulae L., odore forti naufeofo etiam paleis dictis in difco dignofcendi, nec matricariae fuaveolentis confundantur, cujus radii reflexi funt. Annua, in agris, aggeribus, in arenofis, ruderatis, indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 298. *Zorn.* tab. 139.

Flores cotulae foetidae, Hundskamillen, Hundsromey Krötenblü.

□

Anthemis cotula L. Cl. XIX. ord. 2. Corolla compofita radiata cum calyce, floribus chamomillae ro-

manae valde similis, ast foetore forti distinguenda. Annua, ad vias & in ruderatis crebra. Icon vid. *Blackw.* tab. 63. *Zorn.* tab. 437.

Crocus, Safran.

□ ⊙

Crocus sativus L. Cl. III. ord. 1. Stigmata pistilli, sive laciniae trifidae floris quae in pistillo ex apice styli emergunt, planae, siccatione vero varie corrugatae & contortae; crebro autem specimina occurrunt, in quibus terna adhuc in conspectum veniunt stigmata, unita in summa styli parte. Color profunde ruber sive rutilus, splendidus, infra ex albido luteus, odor penetrans aromaticus, narcoticus & sapor amaricans aromaticus, nonnihil acris. In Europa cultus crocus inprimis *Austriacus*, eique sappar Bavaricus, orientali praeferendus, ille enim genuinus, ac recentior facilius comparandus venit. Eligatur crocus neque marcidus neque humidus tactu, levis, tenax, mollis, longus, digitumque oleo minime inquinans; rejiciendus vero qui digitos nullo imbuit colore, odoris & saporis debilis, mucidi aut peregrini, nimis tener, coloris albicantis, lutei, vel nigricantis. Inquinatio genuini cum fibris carnis bubulae fumo induratae & coctae proditur per foetorem, si prunis imponitur, & per pallorem finem versus deficientem. Carthami tinctorii flosculos croco intermixtos, colore dilutius luteo & basi minime pallescente cognoscimus. Fraus cum floribus calendulae antea infuso croci veri immissis, tinctura longe saturatiore magisque rubra patefacitur, crocus enim genui-

genuinus, tincturam largitur grate flavam. Perennis, in Perſia & Turcia ſpontaneus, in Oriente & in Europa v. c. in Gallia inprimis in terra Gatinois & Angumois, in Hiſpania, Portugallia, Sicilia, Angila, in Germania praecipue in Auſtria, Bavaria, Bohemia, Sileſia colitur. In veſica clauſus pyxidi ſtanneae immiſſa, a pharmacopola, aſſervandus. Icon vid. *Blackw.* tab. 144. & 566. *Zorn.* tab. 151.

Flores geniſtae, Ginſterblumen, Pfriemenblumen, Haſengeilblumen. ℰ 187

□

Spartium ſcoparium L. Cl. XVII. ord. 4. Corolla papillionacea, lutea, tenerrime pedunculata, vexillo magno reflexo, cordato, alis ovato-oblongis vexillo brevioribus, petalis carinatis, in margine villoſis, alis longioribus, cum calyce bilabiato quinquies dentato, ſaporis ingrate amari. Fruticulus, in locis arenoſis & elatis indigena. Icon vid *Blackw.* tab. 244. *Zorn.* tab. 224.]

Flores hyperici, Johanniskrautblumen, Scherneckelblumen, Hartheublumen.

□ ⊙

Hypericum perforatum L. Cl. XVIII. ord. 4. ℰ 105
Corollae pentapetalae, petalis oblongo-ovatis, obtuſis, ſaturate luteis, ſaepiſſime atro-rubicunde punctatis, cum pedunculis & calycibus quinqueſidis. Sapor balſamicus, amaricans & ſubadſtringens. Flores recentes,

inprimis stigmata, largiuntur sub compressione quadam succum rubrum, etiam siccati aquam, spiritum vini & olea rubro imbuunt colore. Colligendus thyrsus florum ante expansionem plenariam. Perennis, in locis apricis, dumetis, pratis & pascuis frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 15. *Zorn.* tab. 31.

Flores lavendulae, flores spicae, Lavendelblüthen, Spickblathen.

□ ⊙

Lavendula spica L. Cl. XIV. ord. 1. Integrae florentes spicae cum bracteis, calycibus & corollis ringentibus, coloris caerulei, odoris gratissimi, saporis amaricantis calidi. Praeferuntur flores varietatis foliis angustioribus & ante expansionem colligendi perfectam. Fruticulus in Hispania, Italia, Gallia, Helvetia spontaneus, apud nos hortensis. Icon vid. *Blackw.* tab. 294. *Zorn.* tab. 53.

Flores liliorum convallium, Maienblümchen, Lilienconvallie.

□

Convallaria majalis L. Cl. VI. ord. 1. Corollulae subrotundae, campaniformes, coloris albi, odoris, dum recentes, grate fragrantis, saporis amari. Perennis, in sylvis, dumetis & umbrosis. Icon vid. *Blackw.* tab. 70. *Zorn.* tab. 94.

Flores

Flores malvae hortenſis, ſeu arboreae ſeu roſeae, Pappelroſen, Stockroſen, Herbſtroſen, Glockroſen.

□

Alcea roſea L. Cl. XVI. ord. 6. Corollae malvaceae pentapetalae petalis cordatis, coloris rubicundi obſcurioris, ſaporis mucilaginoſi nonnihil ſalſi, adſtringentis. Praeferuntur flores e violaceo pulli coloris. Biennis, in Oriente ſpontanea, apud nos in hortis culta. Icon vid. *Zorn.* tab. 236.

Flores melilotki citrini, gelbe Steinkleeblumen, Honigklee- Schotenklee- Bärkleeblumen, Siebengezeit.

□ ⊙

Trifolium melilothus officinale L. Cl. XVII. ord. 4. Corollae papillionaceae cum pedunculis & calycibus. Color luteus, odor fragrans, ſapor herbaceus ſubamarus. Biennis, ad vias, in ruderatis, collibus & agris frequens. Icon vid. *Blackw.* tab 80. *Zorn.* tab. 204.

Flores millefolii nobilis, Edel- Schaafgarbenblumen, Edel- Schafſtrippenblumen.

□

Achillea nobilis L. Cl. XIX. ord. 2. Corymbi convexi, confertiſſimi corollulis compoſitis, radiatis, odoris quodammodo camphoracei, florum vulgarium multo ſuavioris, acutioris, & magis balſamici, ſaporis ſubamari aromatici. A vulgari & per folia in ramis ſummis floralibus ſimplicia, ſemipinnata, integerrima, tomentoſa & obtuſa diſcernitur. Perennis, in montoſis, agris Bohemiae,

Saxoniae, Palatinatus, Haſſiae & prope Goettingam & Hannoveram habitans. Icon vid. *Zorn.* tab. 279.

Flores millefolii vulgaris, gemeine Schaafgarbenblumen, Schaafſchippenblumen, Gerbelblumen, Tauſendblattblumen.

□ ⊙

Achillea millefolium L. Cl. XIX. ord. 2. Corymbi plani, corollulis compoſitis radiatis albis, odoris balſamici, ſaporis ſubaromatici, amaricantis. Perennis, in campis, paſcuis, dumetis crebra. Icon vid. *Blackw.* tab. 18. *Zorn.* tab. 29.

Flores naphae, flores aurantiorum, Pommeranzenblüthen.

□

Citrus aurantium L. Cl. XVIII. ord. 3. Petala oblonga, alba, odoris ſuaviſſimi, ſaporis amaricantis. Vide Folia aurantiorum.

Flores papaveris erratici, flores papaveris rhoeados, Klatſchroſen, Klapperroſen, wilder Mohn, Kornmohn, Schnallen.

□ ⊙

Papaver rhoeas L. Cl. XIII. ord. 1. Petala quodammodo ſubrotunda, cum baſi angusta & nigra, in paginis vegete rubra, tactu pinguia, mollia, recentia odoris viroſi, ſaporis mucilaginoſi, ſubamari. Ne confundatur papaver rhoeas capſulis glabris, globoſis, cum papavere dubio L. capſulis oblongis, glabris, nec cum papa-

papavere argemoni L. capſulis oblongis, hirſutis diſcernendo. Annus, in agris vulgatiſſima. Icon vid. *Blackw.* tab. 2. *Zorn.* tab. 157.

Flores roſarum rubrorum, flores roſarum rubrorum ſeu incarnatarum, rothe Roſenblätter, Zentifolienroſenblätter, Zuckerroſenblätter.

□ ⊙

Roſa centifolia L. Cl. XII. ord. 5. Petala ſubrotunda, pallide rubra, odoris fragrantis, ſaporis primo dulcis, poſtea amari ſubauſteri. Flores ante plenariam colligendi expanſionem. Frutex, in hortis hoſpitans flore pleno. Icon vid. *Blackw.* tab. 82. *Zorn.* tab. 600.

Flores ſambuci, Fliederblüthen, Hollunderblüthen, Holderblüthen.

□ ⊙

Sambucus nigra L. Cl. V. ord. 3. Cymae quinque partitae, corollis monopetalis, rotatis, quinquefidis, albis, pedunculis & pedicellis ex viridi albis, odoris peculiaris balſamici, ſubnarcotici, ſaporis mucilaginoſi, amaricantis. Arbor in ſepibus, locis ruderatis & ad pagos crebra. Icon vid. *Blackwell.* tab. 151. *Zorn.* tab. 334.

Flores tanaceti, Rheinfahrenblumen.

□ ⊙

Tanacetum vulgare L. Cl. XIX. ord. 2. Corollulae compoſitae, ſemiglobоſae, convexae, ſolidae cum floſculis tubuloſis margine quinquefido reflexo, ſaepe

cum nonnullis trifidis floſculis radii, coloris lutei, ſaporis amari. Floſculis e calyce & diſco tritu exemtis adhaerent ſemina parva, oblonga, ſubincurvata, ſulcata, in apice ſubmarginata, quae cum floſculis una in officinis ſervanda. Vid. herba tanaceti.

Flores verbaſci, Wollkrautblumen.

□ ⊙

Verbaſcum thapſus L. Cl. V. ord. 1. Corollae rotatae monopetalae, ſubaequales, tenues, limbo luteo quinque partito, ſuaveolentes & mellei ſive pinguis ſaporis. Tempeſtate ſicca & calida colligendi & plenarie evoluti, a compreſſione cavendi, rariſſime diſpergendi & radiis ſolis ſiccandi vel in furno piſtorio, quando prius ſub fornace flacceſcere inceperunt. Vid. herba verbaſci.

Flores violae martiae, ſive violae martialis, blaue Veilchen, Merzvielen.

□ ⊙

Viola odorata L. Cl. XIX. ord. 6. Petala purpureo-caerulea corollae quinquepetalae, irregularis, poſtice cornutae, odoris ſpecifici gratiſſimi, ſaporis ſubamaricantis & mucilaginoſi. Cave ne cum floribus oblongo-cordatis, pallidioribus & odore carentibus violae caninae & violae hirtae L. confundantur. Perennis, in nemoribus, dumetis & paſcuis crebra. Icon vid. *Blackw.* tab. 55. *Zorn.* tab. 8.

V. Fructus & Semina.

Fructus five *baccae maturae acaciae germanicae*, five noſtratis, reife deutſche Schleen, Heckſchleen.

□

Prunus ſpinoſa L. Cl. XII. ord. 1. Drupa rotunda, ceraſi mediocris magnitudinis, obſcure caerulea, pulpa viridi, nuce ſubrotunda, ſaporis valde auſteri, acidi & conſtringentis. Vid. flores acaciae.

Amygdalae amarae, bittere Mandeln.

□

Amygdalus communis L. Cl. XII. ord. 1. *Varietas amygdalus amara.* Nuclei ejusdem figurae ac dulces, aſt ſaporis grate amari. Vid. amygd. dulces.

Amygdalae dulces, ſüſſe Mandeln.

□ ☉

Amygdalus communis L. Varietas amygdalus ſativa, Cl. XII. ord. 1. Nuclei ovati complanati, pellicula brunea, lineis elevatis & pulvere flaveſcente reſinoſoque inſtructi, intus bipartibiles, albi, in apice corculum gerentes, ſaporis dulcis, lactei, cum fragrantia quadam. Comparandae Italicae vel Florentinae, quae craſſiores, longiores gratiorisque ſaporis ſunt quam Valencianae, Provencales & Barbadicae. Rejiciantur eroſae, fractae, rancidae, vetuſtae, & eligantur recentes, integrae, pellicula tenui veſtitae, toroſae, nec rugoſae, ſaporis grate dulcis. Arbor in ſeptentrionali Africa,

ſpontanea, in Italia, Gallia, Sicilia copioſe culta, etiam Germaniae clima fert calidius. Icon vid. *Blackw.* tab. 105. *Zorn.* tab. 301.

Semen anethi, Dillſaamen.

□

Anethum graveolens L. Cl. V. ord. 2. Semina ovata, latere uno plana, altero convexa & ter ſtriata, toroſa, margine membranoſo, dilute fuſca, odoris fragrantis, ſaporis aromatici calidi. Annua, in Europa meridionali ſpontanea, apud nos hortenſis. Icon vid. *Blackw.* tab. 545. *Zorn.* tab. 512.

Semen aniſi, Anis.

□ ⊙

Pimpinella aniſum L. Cl. VI. ord. 2. Semina oblonga, parva, baſi ventricoſa, ſtriata, viridi fuſca, ex duobus ſeminibus facie plana connexis conflata, ſaporis dulcis, aromatici, odoris fragrantis. Eligatur ſemen plenum, viride, nec acerоſum. Annua, in Aegypto ſpontanea, in Saxonia ſuperiori, Thuringia & in aliis Germaniae regionibus copioſe culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 374. *Zorn.* tab. 128.

Fructus ſive *ſemen aniſi ſtellati*, ſemen aniſi ſinenſis, ſemen badian, Sternanis.

⊙

Illicium aniſatum L. Cl. XIII. ord. 6.? Fructus ex ſex plerumque vel octo capſulis ſtellatim invicem junctis compreſſis unilocularibus, oblongis, acutis, duris,

duris conſtans, ferragineis, extus rugoſis, intus glabris, nitidis, communiter margine ſuperiori dehiſcentibus, inferiori convexo, tumido, aſpero; qualibet in capſula incluſum eſt ſemen ovatum, compreſſum, ſub arillo fragili, nitido, glabro, badio continens nucleum albidum mollem, pinguem. Odore & ſapore aemulatur ſemen aniſi vulgaris vel foeniculi, ſed magis aromatico, dulciori ac ſuaviori. Eligantur fructus integri, minime impuri nec pulverulenti. Ex Tataria, China & inſulis Philippicis adfertur. Arbor in Japonia & China creſcens.

Fructus maturus aurantiorum, aurantia Hiſpalenſia, mala aurantia matura, reife Pommeranzen, gelbe Pommeranzen, bittere Pommeranzen.

□ ⊙

Citrus aurantium L. Cl. XVIII. ord. 4. Fructus globoſi nonnihil compreſſi, umbilicati, externe cortice carnoſo, extus fulvo, inaequali, copioſe poroſo, intus albo, fungoſo veſtiti, interne pulpa membranoſa, ſuccoſa, novemloculari & octodecim ſeminibus ſubovatis, callofis, inſtructi, odoris fragrantis & grati, ſaporis aromatici cum grata amaritie. *Cortex aurantiorum recens* oleo eſſentiali adhuc ſcatens, quod compreſſione exſudat, in uſu eſt medico, & a fungoſa interna ſubſtantia purgatus adhibendus; ſaepius vero utimur corticibus ſiccatis, in fruſta diſſecatis ovata, ex Hiſpania, Italia & Gallia allatis, ex quibus cortices de Curaſſao optimae notae ſunt, magnitudine majori, colore magis bruneo & pauciori ſubſtantiae fungoſae adhuc adhaerente quantitate diſcernendi. Eligantur cortices profunde

ſive

sive ex bruneo flavi, saporis amari, aliquo modo adhuc odoris fragrantis, nec obsoleti nec situ corrupti. Pro usu medico solummodo corticis exterior pars obscure fulva vel brunea, plane ab interna fungosa & alba substantia deglutinata, sub nomine: *Flavedo corticum aurantiorum* servanda & adhibenda. Arbor semper virens originis orientalis, sed hodie in australi Europa & apud nos in hibernaculis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 349. *Zorn.* tab. 496.

Fructus aurantiorum virides, seu *immaturi*, poma aurantium immatura, aurantia curassavica, unreife Pomeranzen, Curaßaäpfel.

□ ⊙

Citrus aurantium L. Cl. XVIII. ord. 3. Fructus immaturi, a magnitudine pisi ad cerasi, rugosi, coloris ex viride brunei, saporis valde amari, subaromatici. Vid. Fruct. mat. aurant.

Nuces Ben, sive *Behen*, balani myristicae, glandes unguentariae, Bennüsse, Behennüsse.

□

Guilandina moringa L. Cl. X. ord. 1. Semina oblonga, triquetra, nucis avellanae magnitudinis, in putamine ex cinereo albo, solido sed fragili & tenui inclusa, pellicula crassiuscula, fungosa, albissima vestita, saporis acris, amari, oleosi ingrati. Arbor in Malabaria, Zeylona & Aegypto indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 386. *Zorn.* tab. 536.

Baccae

Baccae sive *fructus berberum recentes*, Berberisbeere, Berberitzen, Saurach, Sauerdornbeere, Saurachbeere, Weinschädlingbeere, Reiselbeere, Erbselbeere.

□ ⊙

Berberis vulgaris L. Cl. VI. ord. 1. Baccae ovato-cylindricae, obtusae, umbilico subrotundo fusco notatae, uniloculares, cum seminibus duobus oblongis, coloris pulchre rubri, grato acidi, subadstringentis saporis, succo rubro scatentes. Frutex ad sepes, in sylvis & dumetis habitans, indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 165. *Zorn.* tab. 86.

Nuces cacao caraccenses, cacau, cacoa, Karakische Cacaubohnen, Karakischer Cacao, Cacaonüsse.

□ ⊙

Theobroma cacao L. Cl. XVIII. ord. 1. Semina sive nuclei rotundo-oblongi, teretes, epidermide scabra, fragili, atro-rubra, pulvere griseo argenteo conspersa vestiti, cum medulla grisea, in lobulos divisibili, pingui, saporisque grate amari. Rejiciantur minores, mucidi & intus albi. Quo propriores ad hanc optimam speciem accedunt species aliae, eo meliores e. g. species Berbicensis post Carracensem praestantior est aliis & epidermide minus scabra, tenuiori & griseo pulvere distinguenda; infima est species insulana, cujus nuclei minores, latiores, epidermide ferme glabra, ex atro rufa, nullo pulvere tecta & arctius nucleo adhaerente vestiti ac saporis sunt amarioris, subausteri. Arbor in regno Mexicano, Gujana, Cayenne, Carolina, insulis Antillanis crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 373. *Zorn.* tab. 308.

Semen

Semen cannabis, Hanfſaamen.

□ ⊙

Cannabis ſativa foemina L. Cl. XXII. ord. 5. Grana ovata, ſubcompreſſa, quorum teſta ex albo cinerea, glabra, bivalvis, ſuturis prominulis, tenuis, dura, fragilis, altero extremo obtuſa, altero foveola rotunda notata nucleum includit epidermide fuſca veſtitum, ſaporis oleoſi dulcis. Annua, Perſiae indigena & in Germania arte culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 322. *Zorn.* tab. 532.

Cardamomum minus, kleine Kardamomen.

□ ⊙

Amomum cardamomum L. Cl. I. ord. 1. Capſula trivalvis, valvulis flexilibus, diſſepimentis membranaceis, trilocularis, ſtriata, pallide lutea, petiolo exiguo, apice decidua, cum duplice ſeminum inter ſe cohaerentium ſerie. *Semina* quae proprie medicinalia, ſunt angulata, multiformia, rugoſa, extus ſubrufa, intus alba, ſaporis aromatici, acris, camphoracei & odoris fortis ſuavis. Semina in capſula incluſa ſervanda ad retinendas eorum particulas volatiles. Perennis, in Zeylona & Malabaria creſcens. Icon vid. *Blackw.* tab. 385. & 584. 585. *Zorn.* tab. 336.

Caricae, trockne Feigen.

□ ⊙

Ficus carica L. Cl. XXIII. ord. 3. Fructus ficus ſiccati, ciſtulis immiſſi ad nos allati, in formam orbi-

bicularem compreſſi, coloris ex albo flaveſcentis, pulpa ſubviſcida, dulciſſima, ſeminibus exiguis, lenticularibus, exiguis divite. Caricae de Smirna ſunt magnae, flaveſcentes & orbiculares, Carices de Genua majores flaveſcentes & oblongae; Carices pingues ſive Marſilienſes minores, flaveſcentes & orbiculares, dulciſſimae, aſt valde corruptibiles & vix annum per unum conſervandae. Rejiciantur durae, inſectis eroſae, coloris profundioris & multa materia obductae ſaccharina, ſignum quidem bonitatis ac maturitatis, ſed etiam propenſionis in corruptionem. Arbor in Europa calidiori ſpontanea, apud nos in frigidariis tuenda. Icon vid. *Blackw.* tab. 125. *Zorn.* tab. 479.

Semen carvi, Kümmel, Mattenkümmel, Wieſenkümmel, Garbe.

□ ⊙

Carum carvi L. (*Cl. V. ord.* 2. Grana parva, ovato-oblonga, uno latere concava & ſtriata, altero plana, incurva, obſcure brunea, ſaporis calidi aromatici, ſubamari, odoris fragrantis. Biennis, in pratis frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 529. *Zorn.* tab. 397.

Ceraſa acida recentia, & ſiccata, fructus ceraſorum acidorum, ſaure Kirſchen.

□ ⊙

Prunus ceraſus (auſtera) *L. Cl. XII. ord.* 1. Drupa globoſa, rubra, carne valde acida, ſucco ſanguineo, cum nuce globoſa, compreſſa, acuminata, marginibus pro-

prominentibus. Arbor indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 449.

SEMEN CICUTAE TERRESTRIS, *semen conii*, Erdſchierlingsſaamen.

Conium maculatum L. Cl. V. ord. 2. Grana parva, uno latere plana & altero ſemirotunda, ſtriis elevatis & ſerratis notata, ex viridi-flava, ſaporis acris, amari, odoris viroſi. Vid. herba cicutae.

Semen cinae, ſemen ſantonici, ſemen zinae, vel ſinae, ſemen contra, ſemen lumbricorum, ſemen zedoariae, Wurmſaamen, Zitwerſaamen.

□ ⊙

Artemiſia judaica L.? vel *Artemiſia contra?* vel *Artemiſia ſantonicum?* vel ab omnibus his ſpeciebus? Cl. XIX. ord. 2. Semina parva, oblonga, coloris ex gilvo virideſcentis, odoris peculiaris fortis, ſaporis amari ſubacris, reſinoſi, multis cauliculis, florum & foliorum partibus intermixtum. Optimum eſt Aleppenſe poſtea orientale, indicum & barbarum ſeu africanum minoris virtutis, & ultimum viliſſimum. Rejiciatur diſcolor & longiore ſeminum ſpecie mixtum, inodorum & minus intenſe amari ac reſinoſi ſaporis. Adulteratio cum ſemine abrotani, flaveſcentia majori & ſtraminis in pulverem commiuuti ſimilitudine proditur. Ex Oriente & Africa adfertur ſemen. Icon artemiſiae judaicae in Judaea, Arabia, Numidia perennis vid. *Zorn.* tab. 367. artemiſiae ſantonicae in Perſia & Tataria hoſpitantis tab. 240.

Fructus

Chermes

Fructus citri, poma citri, mala citrea, Zitronen.

□ ⊙

Citrus medica L. Cl. XVIII. ord. 3. Fructus ovalis, apice in papillam definente, basi obtusiori cui adhaerent calyculi reliquiae, extus cortice foris gibboso, flavo, folliculis oleiferis divite, intus spongioso albo vestitus, & interne pulpa membranosa, novemloculari, seminibus ovato - acutis callosis, & succo acido instructus, odoris fragrantis, saporis aromatici, subamari calidique. Eligantur majores, cortice tenui vestiti, & ponderosiores. Vtimur *corticibus citri* tam *recentibus* quam *siccatis*, amborum vero solummodo exteriore flava parte, ab interna fungosa alba liberata, quae in pharmacopoliis sub nomine: *Flavedo corticum citri* asservanda. Cortices citri siccati, in frusta dissecati ovato - acuminata, extus coloris profunde lutei, intus substantia fungosa albicante adhuc induti plerumque ex Italia & Sicilia allati, fragrantia recentiorum & sapore aromatico privati, eligantur saporis subamari calidi, nec obsoleti nec situ corrupti & uti jam dictum, pro usu medico non prius adhibeantur, quam ab interna parte fungosa sollicite purgati sint. Arbor in Media & Persia spontanea, in Europa australi indigena, apud nos in hibernaculis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 361. *Zorn.* tab. 496. Vid. & succus citri.

Poma colocynthidum, colocynthides, Koloquintenäpfel, Purgier - Paradiesäpfel, wilder Kürbis.

⊙

Cucumis colocynthis L. Cl. XXI. ord. 10. Fructus magnitudinis mali aurantii, globosus, exsiccatus,

trilocularis, cortice externo viridi destitutus, tegmine vero e flavo albido coriaceo instructus, pulpam includente fungosam, levem, albicantem, saporis intense amari, acris & nauseosi, in cellulis copiosis semina continentem oblonga, plana, dura, ruffa, quae sub nomine: *semina colocynthidum* in pharmacopoliis servanda. Eligantur poma non inveterata, albida, integra, sicca & levia. Annua, in Syria & Aleppo habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 441. *Zorn.* tab. 478.

Cubebae, Cubeben, Schwindelkörner.

□

Piper cubeba L., *piper caudatum Berg*, *Cl. II. ord.* 3. Baccae exsiccatae globosae, piperis nigri magnitudinis, petiolatae, rugosae, ex griseo nigrescentes vel saturate fuscae & testa fragili includentes nucleos rotundos, glabros, duros, ex luteo albicantes. Sapor calidus, amaricans, aromaticus, acris. Frutex in insulis Philippinis, in Java & Guinea spontanea.

Fructus cydoniorum, pyra cydonia, cydonia, cotonea, Quitten.

□ ⊙

Pyrus cydonia L. Cl. XII. ord. 4. Fructus figurae & magnitudinis pomi vel pyri in apice impressi, umbilicati, & circa umbilicum angulati, glabri, lanuginosi, ex viride flavi, vel citrini, odoris specifici grati, saporis acidi subausteri; succosi, quinque loculares, carne firma flavicante & seminibus oblongis, compresso-angulatis, difformibus, uno extremo obtusis altero acutis,

uno

uno latere planis, altero convexis, extus nitidis, bruneis, intus albis inſtructi, quae ſub nomine: *ſemen cydoniorum* Quittenkerne ſingulatim in officinis aſſervanda; ex quibus vero vetuſta, nigra, ſordida rejicienda veniunt. Arbor in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 137. *Zorn.* tab. 306.

Semen cymini, ſemen cumini, Mutterkümmel, römiſcher Kummel, Kramkümmel.

□

Cuminum cyminum L. Cl. V. ord. 2. Semina oblonga, ſtriata, ex cinereo flava & virideſcentia, vel ſubbrunea, odoris fortis aromatici, ſaporis amaricantis calidi. Annua, in Aegypto & Aethiopia ſpontanea, in Europa calidiori, inprimis in Maltha & Sicilia culta.

Semen dauci ſylveſtris ſive *vulgaris*, wilder Möhrenſaamen, wilder Karottenſaamen Beerlineſiaamen, Möhrenkümmel, Eſelsmöhrenſaamen.

□

Daucus carota L. Cl. V. ord. 2. Semen ſubrotundum, altero latere planum, altero convexum, aſperum, hiſpidum, ſaporis aromatici, odoris fragrantis. Ne confundatur cum ſemine dauci hortenſis, quod minoris virtutis, majorisque voluminis. Biennis, in dumetis, collibus, campis & pratis aridis indigens. Icon vid. *Blackw.* tab. 546. *Zorn.* tab. 471.

Semen foeniculi aquatici, semen phellandrii, Waſſerfenchel, Peerſaat, Pferdefenchel, Froſchpetersſilie.

⊙

Phellandrium aquaticum L. Cl. V. ord. 2. Semina oblongo-ovata, vix incurvata, ex binis membranula junctis granis, uno latere planis, altero convexis & obſoletis ſtriis, quarum interiores ſunt latiores, notatis compoſita; ſupra capite parvo quinquies dentato inſtructa, cui inſident ſaepiſſime filamenta ſicca; magnitudinis circiter anethi, coloris ex luteo viridis nonnihil in rubrum vergentis, odoris leviſtici, & angelicae ſimilis, ſaporis aromatici, ſubacris, non ingrati & ſubadſtringentis. Saepiſſime pro foeniculi aquatici ſeminibus, ſemen ſii latifolii L. colligitur & diſpenſatur, quod vero minori magnitudine, curvamine introverſo, ſtriis majoribus & aequalibus & intra has ſtrias nigreſcente colore, odoreque ſeminis cymini diſtinguendum; interdum etiam ſemen phellandrii cum ſemine cicutae viroſae L. commutatur, quod vero ſemen venenatum figura ſubgloboſa, ventricoſa, compreſſa, decem ſtriis, angulis obtuſis & colore viridi dignoſci poteſt. Biennis, in lacubus, foſſis & ad rivulos indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 570.

Semen foeniculi officinalis, Fenchelſaame.

□ ⊙

Anethum foeniculum L. Cl. V. ord. 2. Semina oblonga, uno latere plana, altero convexa, ſtriata, anguſtata, ſubſcabra, ponderoſa, ſaepiſſime incurvata, coloris pallide flaveſcentis, odoris fortis peculiaris, ſaporis

ris aromatici cum dulcedine. Biennis, in Europa calida ſpontanea, in diverſis regionibus Germaniæ, inprimis in Thuringia, Franconia, Saxonia in agris & apud nos in hortis colitur. Icon vid. *Blackw.* tab. 288. *Zorn.* tab. 63.

Semen foeni graeci, Bockshornſaamen, Griechiſcher Heuſaamen, Siebenzeitſaamen, Kühſaamen.

□ ⊙

Trigonella foenum graecum L. Cl. XVII. ord. 3. Semina ſubrotundo-quadrangula, truncata, dura, e bruno lutea, odoris fortis nonnihil meliilothini, ſaporis amari. Annua, in Europa auſtrali ſponte creſcens, in Germania in agris & in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 38. *Zorn.* tab. 116.

Maltum hordei, Gerſtenmalz.

□ ⊙

Hordeum vulgare L. Cl. III. ord. 2. Semina hordei cruda, prius aqua frigida emollita, quae deinde ſpeciem fermentationis ſubivere & germina protruſere, denique vero aëre vel calore iterum ſiccata, intus valde farinoſa, ſaporis dulcis, odoris grati. Rejiciatur maltum inaequaliter germinatum, in aqua fundum petens, fragile, ſapore & odore ſupra dicto deſtitutum. Frumentum notum. Icon vid. *Blackw.* tab. 423. *Zorn.* tab. 509.

SEMEN HYOSCIAMI NIGRI, Bilſenſaamen.

⊙

Hyoſciamus niger L. Cl. V. ord. 1. Semina exigua, ſubrotunda, ferme reniformia, rugoſa, compreſſa, ſubcinerea. Vid. herb. hyoſciami nigri.

Faba Sancti Ignatii, Faba indica, faba febrifuga, Ignatius-bohne.

An Ignatia amara L.? Cl. V. ord. 1. Nucleus fructus cujusdam oblongus, ab una parte gibbus ab altera angulatus, ſubcompreſſus, tenuiſſime ſubſtriatus, nodoſus, valde durus, magnitudinis nucis avellanae, extus coloris griſei vel pallide fuſci & farina tenaciter inhaerente conſperſus, intus nitidus, ſubbruneo-viridis & corneae pelluciditatis; ſaporis quodammodo ut ſemina citri, aſt cum intenſiori amaritie. Eligantur ponderoſiores, grandiores & integrae.

Fructus juglandis immaturi, nuces juglandis immaturae, nuces regiae, unreife Wallnüſſe, grüne Wallnüſſe, unreife welſche Nüſſe.

⊙

Juglans regia L. Cl. XXI. ord. 7. Drupa ovalis, putamine carnoſo, craſſo, extus glabro & laete viridi, intus albo, digitos colore luteo fuſco tenaci inquinante, ſaporis auſteri, adſtringentis, amari. Menſe Junio & Julio decerpendi ſunt fructus; & integri, non maculoſi, nec eroſi, nec rugoſi & facile furca perfigendi eligantur. Arbor ubivis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 247. *Zorn.* tab. 517.

Nuclei

Nuclei juglandis, Wallnußkerne.

Juglans regia L. Cl. XXI. ord. 7. Nuclei fructus juglandis maturi in testa bivalvi, scabra, oblonga inclusi, quadrilobi, tuberculosi, epidermide flavicante adstringente tecti, intus albi, saporis grate dulcis. Rejiciantur mucidi, corrugati & rancidi. Vid. fruct. jugl. immat.

Baccae juniperi, Wacholderbeere, Kaddigbeere, Krametsbeere.

□ ⊙

Juniperus communis L. Cl. XXII. ord. 13. Baccae globosae carnosae, infra tribus perianthii reliquiis obsoletis & supra tribus a petalis relictis exiguis dentibus notatae, extus nigrae & glabrae, intus rufescentes & resinosae, cum tribus oblongis, uno latere convexis, altero angulatis seminibus duris. Odor balsamicus gravis, sapor amaricans cum dulcedine resinosus. Eligantur recentes, grandiores, succosae, ponderosae, maturae ideoque atrae. Vid. lign. juniperi.

Baccae lauri, Lorbeeren.

⊙

Laurus nobilis L. Cl. IX. ord. 1. Fructus oblongo-rotundi, rugosi, profunde brunei, includunt nucleum badii coloris ovatum, in duas partes aequales divisum, odoris fragrantis, saporis pinguis, amari, aromatici. Rejiciantur flaccidae & carriosae baccae. Vid. folia lauri.

Semen lini, semen lini sativi, Leinsaamen, Lein, Flachssaat.

□ ⊙

Linum usitatissimum L. Cl. V. ord. 5. Grana ovato-oblonga, compressa, margine acuto, admodum glabra, nitida, cortice plus minusve bruneo, nucleo albo, saporis ingrate dulcis, mucilaginosi, unctuosi. Annua, apud nos creberrime in agris culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 160. *Zorn.* tab. 251.

Coni sive *Strobuli lupuli*, Hopfen, Fruchthöpperlinge.

⊙ □

Humulus lupulus L. Foemina & sativus. Cl. XXII. ord. 5. Strobuli ovato-oblongi, ex bracteis mollibus amplis, ex albo flavescentibus, laxe imbricatis & ex calyculis squamiformibus compositi, quae in basi continent semina exigua subrotunda; bracteae & semina farina aurei coloris aromatica conspersa sunt. Odor gravis & aromaticus, sapor valde amarus cum sensu caloris. Rejiciantur strobuli lupuli vulgaris ad sepes in dumetis & ad aggeres crescentis, magnitudine minori, farinaque pauca vel nulla distinguendi, odore ac sapore dicto carentes, farina & seminibus jam destituti & in manu triti minime adhaerentes. Perennis, in lupuletis culta. Icon vid. *Blackw.* tab 536. *Zorn.* tab. 522.

Semen lycopodii, Bärlappsaamen, Johannisgürtelsaamen, Teufelsmehl, Hexenmehl, Klopfpulver, Hexenmehl.

□ ⊙

Lycopodium clavatum L. Cl. XXIV. ord. 2. Pulvis pallide flavus, digitis contrectatus sensum molli-

litiei ac pinguedinis excitans digitisque adhaerens; flamma ardenti inſperſus accenditur cum fulguratione & ſtrepitu, ſuper prunis vero fumans lente conſumitur. Perennis, in ſylvis, ericetis & in viis arenoſis habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 535. *Zorn.* tab. 54.

Macis, Muskatenblüthen, Muskatenblumen.

□

Involucrum ſive tegmentum proximum nucis moſchatae, varia monſtrans lora brevia, reticulatim invicem connexa, laciniata & tenacia, coloris e luteo in rubrum vergentis, odoris fortis balſamici, ſaporis aromatici, ſubamari, acris. Eligatur flexilis, tenuis, oleoſa, crocea & valde odorata macis, & rejiciatur minus laciniata, fragilis, albicans vel dilutius flaveſcens. Vid. nux moſchata.

Baccae ſive *fructus mori recentes*, *mora*, Maulbeeren.

□

Morus nigra L. Cl. XXI. ord. 4. Fructus ovato-oblongi, ex copia baccularum vel acinorum quadrilobatorum, receptaculo communi affixorum ſeminaque triangulari-ovata includentium aggregati, ex rubro nigricantes, ſucci nigro-violacei divites, ſaporis acido dulcis. Arbor originis orientalis & apud nos colitur. Icon vid. *Blackw.* tab. 126. *Zorn.* tab. 173.

Nux moschata, nux myristica, Muskatennüsse.

□ ⊙

Myristica moschata sive *aromatica L. Cl. XXI. ord.* 1. Drupae nucis nucleus subrotundus, solidus, durus, externe nonnihil sulcatus, ex griseo fuscus, intus flavescens & ruffis striis undulatis notatus, tactu pinguis, sciffilis, odoris balsamici, saporis grate amari, aromatici. Nux rotunda minor, vulgo foemina dicta, praeferenda oblongae & majori, mas dictae, odore ac sapore destitutae, & intus mucidae ac nigrescentibus striis distinctae. Eligantur nuclei rotundi, crassiores, pinguiores, ideo acu candente perfusi oleum exsudantes; carioſi, saporis & odoris debilis rejiciendi. Arbor inprimis in provincia Banda culta.

Baccae myrtillorum recentes & siccatae, myrtilli, Heidelbeere, schwarze Beere, Blaubeere, Bickbeere.

□ ⊙

Vaccinium myrtillus L. Cl. VIII. ord. 1. Fructus globosi saturatissime caerulei, umbilico duplici concentrico notati, quadriloculares, multis seminibus minimis, succoque purpureo; saporis acido-dulcis simulque subausteri. Fruticulus in sylvis & ericetis frequens. Icon vid. *Blakw.* tab. 463. *Zorn.* tab. 81.

Semen nigellae, semen melanthii, schwarzer Kümmel, Nardensaame.

□

Nigella sativa L. Cl. XIII. ord. 5. Semen exiguum, ovatum, triquetrum, subcompressum, transversim rugo-

rugoſum, extus nigrum, intus ex albo viridiſcens, odoris aromatici quodammodo empyreumatici, ſaporis ſubacris. Saepiſſime & apud nos commutatur vel adulteratur ſeminibus daturae ſive ſtramonii, quae vero minime triquetra ſed reniformia ſunt, & plana, undulatim rugoſa &. odore omni vel tamen aromatico deſtituta. Annua, in Aegypto, Creta etiam in Germania ſponte habitans plerumque vero in hortis colitur. Icon vid. *Zorn.* tab. 119.

Capitula papaveris, capſulae ſive capita papaveris, Mohnköpfe, Magsamenköpfe, Mohnkannen.

☉

Papaver ſomniferum, varietas nigra L. Cl. XIII ord. 1. Capſulae globoſae, glabrae, pileo ſtellato ex ſtigmatis reliquiis formato coronatae. Colligendae quando cultri cuſpide fanciatae ſuccum largiuntur lacteum, juniores & adultiores inertes ſunt & ſpernendae. Annua, in oriente habitans & apud nos in hortis & in agris culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 482. *Zorn.* tab. 371.

Faba pechurim, ſive *pecurim*, faba pichurim, pecuris, faba pecairo, Pechurimbohne, braſilianiſche Bohne.

Arbor nondum ſatis determinata. Semen oblongo-ovatum, uno latere convexum, altero nonnihil concavum, ambobus extremis obtuſum, circiter pollicem unum & ſemi longum, octo lineas latum & nonnullas lineas craſſum, ſaepe ſulco longitudinali, foveaque oblonga notatum, extus epidermide ex bruno nigra obductum, intus nucleo dilute fuſco, ſive ferrugineo, ſive ex carneo luteo, punctulis obſcurioribus nonnihil variegato,

gato, friabili inſtructum; odoris aromatici inter odorem nucis moſchatae & ligni ſaſſafras medii, ejusmodi ſaporis amaricantis. Caveas a faba quadam ſpuria ex America loco genuinae allata, quae dimidium vera faba pechurim major eſt, extus rugoſa & pallidior, intus profundioris coloris, durior, amarior minusque aromatica. Ex Braſilia & regno Paraguano advehitur.

Semen petroſelini, Peterſilienſaamen.

□ ⊙

Apium petroſelinum L. Cl. V. ord. 2. Semina exigua ovata, uno latere plana, altero convexa, incurvata, latere convexo quatuor ſulcis flavis diſtincta, profunde viridia, odoris fragrantis, ſaporis aromatici amari. Biennis, in Sardinia & Sicilia ſponte creſcens, apud nos in hortis colitur. Icon vid. *Blackw.* tab. 172.

Piper album, weißer Pfeffer.

□

Piper nigrum L. Cl. II. ord. 3. Baccae piperis nigri maturae, cuticula externa nudatae & ſiccatae, rotundae, glabrae, albae, ſaporis acris cum ſenſu caloris, odoris ſubaromatici. Occurrit interdum piper album quod ante exſiccationem in magmate ex amylo & ceruſſa volutatum fuit, ut grana majora, candidiora & ponderoſiora evadant, aſperitate & liquore vini probatorio diſcernendum. Vid. piper nigrum.

Piper nigrum, ſchwarzer Pfeffer, gemeiner Pfeffer.

□ ⊙

Piper nigrum L. Cl. II. ord. 3. Baccae virides immaturae, piſi minoris magnitudinis, globoſae, compactae, durae, non petiolatae, ſiccatione nigricantes, intus ex cinereo albidae, odoris ſubaromatici, ſaporis acris urentis. Frutescens in India orientali inprimis in Malabaria, Sumatra, Java culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 348. *Zorn.* tab. 557.

Semen plantaginis latifoliae ſive vulgaris, großer Wegerichsamen.

□ ⊙

Plantago major L. Cl. IV. ord. 1. Semina minima, oblonga, glabra, fulva, ſaporis mucilaginoſi ſubacris. Vid. herba plantaginis.

Pruna damaſcena recentia, fructus prunorum, Zwetſchen, Pflaumen.

□ ⊙

Prunus domeſtica L. Cl. XII. ord. 1. Drupa oblonga, glabra, ſulco ad latus inſtructa, profunde violacea, glauco vel coeruleo rore obſeſſa, carne ſuccoſa flaveſcente, & nuce compreſſa ſcabra inſtructa, ſaporis grati acido-dulcis. Rejiciantur non perfecte matura, ab inſectis pertuſa, & minus ſuccoſa. Arbor apud nos praecipue in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 305. *Zorn.* tab. 493.

Glan-

Glandes sive *fructus quercuum*, glandulae quercinae, Eicheln.

□ ⊙

Quercus robur L. Cl. XXI. ord. 7. Nuces sive fructus oblongo-ovati, glabri, in basi vero obtusa scabri, cortice coriaceo ex flavo laete fusco, nucleum arillo rufescente tectum, ovatum, intus coloris albi, saporis valde amari & austeri includente; annexo calyculo caudato aspero, a quo fructus liberati serventur. Vide cortex quercus.

Ribesia nigra recentia, fructus ribesiorum nigrorum, schwarze Johannisbeere, Gichtbeere, Ahlbeere.

□

Ribes nigrum L. Cl. V. ord. 1. Baccae globosae, umbilicatae, nitidae, nigrae, cum carne gelatinosa sicciore, succo obscure rubro, odoris ingrati, mucidi, narcotici, cimicum similis, saporis subdulcis ingrati. Frutex in vallibus & ad rivulos spontaneus & in hortis colitur. Icon vid. *Blackw.* tab. 285. *Zorn.* tab. 305.

Ribesia rubra recentia, baccae ribium rubrorum, rothe Johannisbeere, Ribisel.

□ ⊙

Ribes rubrum L. Cl. V. ord. 1. Baccae globosae, umbilicatae, pellucidae, lineatae, carnis succosae grate rubrae, uniloculares, cum seminibus multis subrotundis nonnihil compressis, coloris laete rubicundi, saporis grate acido, dulcis. Ne confundantur baccae ribium rubrorum cum baccis ribium alpinorum L, quae minores & sapo-

saporis dulcis, vappidi, subnauseosi. Frutex in sepibus, sylvis & dumetis spontanea, plerumque vero in hortis culta. Icon vid. *Blackw.* tab. 285. *Zorn.* tab. 78.

Semen ricini vulgaris, semen cataputiae majoris, Wunderbaumkörner, große Purgierkörner, Treibkörner, Mollenkrautkörner.

Ricinus communis L. Cl. XXI. ord. 10. Semina ovata, utrinque compressa, phaseolum minorem magna, sub cortice tenui, fragili, nitido, ex nigrescente & albicante variegato, nucleum continentia album, unctuosum, saporis subacris. Biennis, in India utraque, Africa & Europa australi habitans, apud nos in hortis & frigidariis colitur. Pharmacopolae cauti est, ut semina ricini ipse secundum Cl. Heyeri consilium: *Crells* neue chemische Entdeckungen P. II. p. 44 seq. educet. Icon vid. *Blackw.* tab. 148. *Zorn.* tab. 132.

Baccae rubi idaei, fructus rubi idaei, Himbeeren, Hindbeeren, Hehlbeeren.

□ ⊙

Rubus idaeus L. Cl. XII. ord. 5. Baccae sursum convexae, deorsum cavae, ex multis acinis subrotundis inter se junctis aggregatae, succosae cum seminibus minimis oblongis; rubelli coloris, saporis peculiaris dulcis cum aciditate, odoris grate fragrantis. Frutex in dumetis & sylvis caeduis frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 289. *Zorn.* tab. 472.

Semen

Semen sabadillae, semen sabatilli, Sabadillsaamen, Mexicanischer Läuseſaamen.

⊙

Veratri verosimile species nondum satis cognita. Miſcela ex feminibus vel nudis vel intra capſulas ſuas reconditis, capſulis vel integris vel diffractis, particulisque florum ac pedunculorum variis, proportione dubia & inaequali. Capſulae ovato-oblongae, compreſſae, circiter ſemipollicares, in medio utriusque lateris ſutura longitudinali, ex qua tenues ramoſae coſtae oblique exeunt, notatae, ſemina bina includentes, coloris ſtraminei. Semina oblonga, uno extremo obtuſa, altero acuminata, latero uno ſubplana, altero convexa, margine acuto, compacta, nitida, profunde brunea vel nigreſcentia & ſubrugoſa, intus albida, ſaporis acerrimi ingrate amari, pungentis, ſalivam attrahentis. Ex Mexicano regno adferuntur.

Baccae ſambuci recentes, Holunderbeere, Fliederbeere, Holderbeere, Zieken, Quedecken.

□ ⊙

Sambucus nigra L. Cl. V. ord. 3. Baccae ſubrotundae umbilico cum ſtellato, uniloculares, cum tribus oblongis in uno latere convexis, in altero ſubangulatis ſeminibus, & ſucco multo ex nigro rubro, ſaporis acidi dulcis, vix grati. Vid. flores ſambuci.

Semen ſinapeos nigrae, ſemen erucae nigrae, ſchwarzer Senf.

□ ⊙

Sinapis nigra L. Cl. XV. ord. 2. Semina exigua, rotunda, nonnihil compreſſa, ſtriis concentricis notata,

tata, nigrescens, saporis subamari acris; in pulverem redacta nares feriens. Pro semine sinapeos nigrae etiam adhiberi potest *semen sinapeos albae*, sive *semen erucae*, weißer oder gelber Senf, ejusdem figurae, coloris vero flavescentis, saporis minus acris. Annua, in aggeribus ruderatis & in agris spontanea, plerumque vero praecipua sinapis alba in hortis colitur. Icon Sinapeos nigrae vid. *Blackw.* tab. 446. *Zorn.* tab. 152. & albae *Blackw.* tab. 92.

Baccae sorbi aucupariae, fructus sorbi aucupariae, baccae sorbi, Ebereschenbeere, Vogelbeere, Quitschbeere, Pillbeere.

□

Sorbus aucuparia L. Cl. XII. ord. 3. Baccae globosae, umbilicatae, tri-vel quadriloculares, in quovis loculamento bina semina oblonga includentes, carnosae, coccineae, succi lutei, saporis farinacei subacidi, amari & subausteri. Arbor in sylvis, ad vias & sepes frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 73. *Zorn.* tab. 173.

Baccae spinae cervinae, baccae domestica. Kreuzbeere; Wegedornbeere, Hundsbeere, Färbebeere, Amselbeere.

□ ⊙

Rhamnus catharticus L. Cl. V. ord. 1. Baccae rotundae, magnitudine pisi minoris, nitentes, puncto elevato in apice notatae, nigrae, cum pulpa succosa profunde viridi, seminibus quatuor crassis, ovatis, glabris, in uno latere subtrigonis; sapor amaricans, subacris nauseosus, odor nonnihil ingratus. Caveas ne cum baccis

rhamni frangulae commutentur vel adulterentur, quae seminibus duobus rotundis, planis distinguendae. Frutex in montanis, dumetis & sepibus frequens. Icon vid. *Blackw.* tab. 135. *Zorn.* tab. 203.

Tamarindi, fructus tamarindorum, pulpa tamarindorum cruda, Tamarinden, Sauerdattela, ungereinigtes Tamarindenmark.

□ ☉

Tamarindus indica L. Cl. III. ord. 1. Fructus in pultem tusi, exuti corticibus leguminosis sive tegminibus externis, seminibus vero & filis validis, quae semina in situ retinuerunt, adhuc praediti; substantia pulposa, mucilaginosa, tenax, filis solidis ac seminibus angulato-subrotundis, compressis, duris, nitidis, spadiceis permixta, odoris vinosi; saporis grate acidi vinosi, coloris e fusco nigricantis. *Tamarindi indici*, americanis multo praestantiores, eligendi; americanorum pulpa cruda, mollitudine minori & dulcedine, ob additum ad praecavendam vappescentiam saccharum, majori, sapore mitiori ac minus acido, mucilagine minus sequaci ac seminibus paucioribus distinguenda. Rejiciatur quae in cellis locisve humidis diu recondita fuit, ex superficie externa nimis uda, & ex seminibus mollioribus, tumefactis ac nitore destitutis cognoscenda. Adulterationem cum syrupo communi & aceto prodit sapor acrior & ingratior, cum pulpa prunorum, sapor dulcior & nonnihil empyreumaticus. Indi Arabesque pulpam tamarindorum cum aqua vel aceto in vasis cupreis conficere dicuntur, exinde timor justus, ne pulpa ad nos allata

fructu rubro. cf. Burm. Cyperi vulgaris chinensis pro baccis asperis praebentur carne farinacea rubella distinguendae.

allata particulis cupreis sit inquinata ac vitiata; omnis igitur pulpa ad usum medicum servanda, prius examinanda an viridi aeris depravata; solvat ergo pharmacopola in aqua bullienti quantitatem pulpae, & solutioni immittat ferrum politum, quod post aliquot dies cuprum per rubiginem rubescentem manifestabit; pulpa cuprata tunc vel rejicienda, vel accuratissime modo P. II. dicendo, depuranda. Arbor in India orientali, Arabia, Aegypto & America calidiori habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 201 & 221. *Zorn.* tab. 291.

Baccae vitis idaeae, Preiselbeere, rothe Heidelbeere, Kronsbeere, Helpertsbeere, rothe Besinge, Mehlbeere, Rausch, Bernisbeere.

□

Vaccinium vitis idaea L. Cl. VIII. ord. x. Baccae globosae, glabrae, umbilico quadrifido, quadriloculares, extus coloris laete rubri, intus albi, saporis subacidi & subausteri. Fruticulus in sylvis habitans. Icon vid. *Zorn.* tab. 87.

NUX VOMICA, Krähenaugen, Kranaugen.

⊙

Strychnos nux vomica L. Cl. V. ord. x. *Semina orbiculata, compressa, profunde umbilicata, dura, circulariter hirsuta, extus cinerea, intus vel albi vel flavi vel brunei coloris, saporis nauseosi valde amari. Arbor in Zeylona & Malabaria crescens. Icon vid. Blackw. tab.* 395. *Zorn. tab.* 343.

Semen xanthii, semen bardanae minoris, Spitzkletten-saamen, Igelklettensaamen, Kropfklettensaamen, Kliffensaamen.

□

Xanthium strumarium L. Cl. XXI. ord. 5. Semina exigua, ovato-oblonga, acuminata, uno latere plana, altero subconvexa, saporis acris, amari. Annua, in locis ruderatis & ad sepes habitans. Icon vid. *Blackw.* tab 444. *Zorn.* tab. 269.

VI. Algae, Fungi, Musci.

Agaricus albus, fungus laricis, Lerchenschwamm.

Boletus laricis L. Cl. XXII. ord. 4. Boletus solummodo in pino larici reperiundus, a magnitudine pugni usque ad capitis infantilis, variaeque figurae, plerumque ad ungulam equinam, vel ad conum in apice globosum, vel ad pulvillum, vel ad semisphaeram accedentis; superficie superiori [seu dorso] convexa, subinde corticis arboris particula stipata, inferiori vero plana, planiuscula, nonnunquam vero etiam plus minusve convexa, &c, in primis si recens est, poris subtilissimis pertusa, qui vero subinde epidermide teguntur ac plerumque siccatione pereunt; admodum levis, externe crusta crassa, compacta, rimosa, extus grisea vel ex cinereo plus minusve nigricante aut saltem fuscescente, intus flavescente vestitus est; substantia interior sive caro in siccato agarico alba ac candidissima est, spongiosa, fibrosa, denique in rudiorem farinam digitis haud difficulter conterendam ac friabilem abiens. Cum cortice in officinis

einis proſtans, *agaricus crudus* nuncupatur, cortice vero denudatus, inſolatus, malleoloque tuſus, ergo totus albus & friabilis *agaricus praeparatus* dicitur. Recens odoris farinae recenter molitae, ſiccatus vero penetrantioris, ſaporis initio dulcis, deinde vero amari, acris cum nauſeoſa adſtrictione. Eligatur leviſſimus, facilis, fragilis, ſciſſilis, & albiſſimus, rejiciatur ponderoſior, decolor, in fruſtula duriora dehiſcens & vermibus eroſus. Optimus ex Oriente inprimis ex Aleppo adferri creditur, etiam in Ruſſia, Helvetia, Gallo-provincia, Hungaria inprimis Carinthia creſcit & ex his locis ad nos adportatur.

Boviſta, fungus chirurgorum, crepitus lupi, Boviſt, Bubenſiſt. Wolfsfiſt.

□

Lycoperdon boviſta L. Cl. XXIV. ord. 4. Fungus globoſus, diverſae magnitudinis, ſubinde enormis; praeſto eſt in officinis ſiccatus, lividus, mollis, levis, & pulvere obſcure viridi vel bruno repletus, odore & ſapore carens. Non prius colligenda boviſta, quam compages ſuccoſa in pulverem lentum tranſierit, deinde loco ſicco ſervanda. In pratis, paſcuis, collibus ſterilibus, frequens.

Fungus quernus crudus, agaricus chirurgorum, agaricus quercinus, Eichenſchwamm, Zunderſchwamm, Feuerſchwamm.

□ ⊙

Boletus igniarius L. Cl. XXIV. ord. 4. Fungus acaulis, pulvinatus, convexo-planus, ſaepe unguiae

equinae figurae, supra corticosus, infra fistulosus sive porosus, in medio mollis, superne fulvus interdum lineis discoloribus, interne pallidior sive albidus. In truncis variarum arborum antiquarum, in primis caesarum, praecipue quercus, fagi, betulae enascitur & mensibus Augusti & Septembris colligendus.

Fungus salicis, boletus salicis, Weidenschwamm.

⊙

Boletus suaveolens L. Cl. XXIV. ord. 4. Fungus sine radice & caule, semipileatus, semiellipticus, superne subpulvinatus, sive convexus, interdum colliculis variis distinctus; si junior, subvillosus, adultus vero glaber, interne compactus & subtus tubuloso-porosus, poris rotundis angulatisque, marginibus integerrimis rarissime obsolete lobatis, tenuioribus, & non porosis. Color lacteus vel ex albo flavescens, subtus interdum ex flavo bruneus, intus vero semper lacteus admixto flavescente in brunum vergente colore; odor, inprimis si recens, fragrans, anisi odori vel iridis florentinae similis, siccatione subinde suburinosus, sapor masticatione longiore sentitur acidulus, postea amaricans vel unice amarus. Exeunte autumno & per totum hiemem colligendus, aestate enim vermibus eroditur, putrescit & nigrescit. Purgandus a particulis corticis, ramusculorum vel foliorum saepe cum ipso concretis. A boleto versicolori, colore aequali & minime fasciis discoloribus distincto, ab alio boleto salicibus innato, boleto igniario simili, odore suaveolente distinguitur, quum hu-

hujus boleti odor valde nauseosus, foetens, & ab aliis similibus boletis caulis defectu distingui potest. Annuus vel biennis, salicibus unice increscens, in multis Germaniae regionibus & apud nos reperiundus.

Helminthochorton, conferva belminthochortos, corallina corsicana, corallina rubra, corallina melitocorton, lemitochorton, Corsicanisch Moos, Wurmmoos, Wurmconferve.

Fucus helminthochorton L. Alga ex pollicem circiter longis & lineas nonnullas crassis fasciculis constans, qui ex copia tenuium, obtuse ramosarum, nodosarum fibrarum aggregati, uno extremo, nempe basi, invicem intricatarum horizontalium & filiformium, altero autem erectarum subulatarum, apice bifidarum vel trifidarum, coloris ex rubro-brunei vel fusci, saporis salsi sine stridore inter dentes, sed cum tenacitate & mollitudine, odorisque ingrati. Aquae immersum partes evolvit implexas, nonnihil intumescit, colorem rubrum amittit & aquae impertitur sub agitatione crebra mucilaginem, cito autem tunc putrescit; prunis insperfum strepitat. Ante usum ab adhaerentibus illi fragmentis madreporarum, conchyliis exiguis vel eorum particulis, ab arena & aliis heterogeneis purgari debet, & optime ab omnibus alienis partibus purgatum cum acidis non effervescit. Ne confundas cum musco corallino animalis naturae qui altior, crassior, subbipinnatus, fragilis, articulatus & albus est, ac sub dentibus stridet; adulteratur saepe cum lichene castanea Leersii, qui vero colore atro puniceo, substantia medullari, ramis acutis, odoris fra-

grantis & mucilaginosae solutionis in aqua defectu dignoscendus. In rupibus mari inundatis & lapidibus ac conchyliis in littora conjectis praeprimis Corsicae innascitur.

Muscus islandicus, herba muschi islandici, Isländisches Moos, Isländische Flechte, Purgiermoos.

□ ⊙

Lichen islandicus L. Cl. XXIV. ord. 5. Lichen foliis siccis, coriaceis, laciniatis lobisque iterum incisis & laciniatis, margine elevato pilisque brevibus tenerrimis rigidis, parallelis obsesso, maculis albis punctatis, & in apice communiter subrubicundis; passim inveniuntur peltata, nitida, viscida, nonnihil excavata corpora, intus brunea, quae sunt pericarpiae. Recens coloris ex viridi fulvi, vel ex cinereo brunei, siccatus vero ex albo viridis, vel grisei oleagini, saporis amaricantis & mucilaginosi. Accipimus interdum varietatem lichenis islandici genuini, inprimis Sueciae indigenae ac passim Germaniae, cujus folia minora, teneriora, crispiora, pilis in margine destituta, coloris pallidioris, plumbei & subtus ruffi sunt. Perennis, in Islandia copiosus sed & in Helvetiae atque Germaniae ericetis, ac sylvis arenosis & sterilibus v. c. in Hercynicis ad terram & saxa proveniens. Icon vid. *Blackw.* tab. 599. *Zorn.* tab. 138.

Muscus pyxidatus, herba ignis, Feuerkraut, Fiebermoos, körnichte Flechte.

Lichen cocciferus L. Cl. XXIV. ord. 2. Lichen siccus, pollicem unum vel sesqui-alterum longus, ex tubu-

Poder Lycopodii vid. p 152 supra

tubulo cylindrico in ſcyphum dilatatus in margine integrum, & tuberculis coccineis vel fuſcis obſeſſum, in baſi foliis imbricatis, lobato-membranaceis. Odor debilis, ingratus, ſapor initio herbaceus, poſtea amaricans ſubadſtringens. Perennis, in ſylvis ſterilibus & in truncis putreſcentibus arborum. Icon vid. *Zorn.* tab. 491.

VII. Principia & producta vegetabilia ſolida.

Aloe hepatica, Leberaloe, braune Aloe, gemeine Aloe.

Aloe ſuccotrina, ſocotrina, ſokotriniſche oder ſukotriniſche Aloe, feine Aloe.

⊙

Aloe ſpicata Thunbergii; *Aloe perfoliata L.* forſan & aliae ſpecies. *Cl. VI. ord.* 1. Succus gummoſo-reſinoſus vario modo ex foliis elicitus, praeparatus & inſpiſſatus, a qua varietate verosimile diverſitates ſucci aloetici oriuntur. *Aloe hepatica* colore a ſuccotrina diſtinguitur profunde ruſſo, ſive hepatico, medium verſus nigreſcente, ſuperficie minus nitida, compage ſolidiori, ſapore amariori, nauſeoſiori, odore fortiore & ingratiore; magis reſinoſa, impellucida, ſubinde attamen in fruſtulis tenuioribus ſubtranſparens. Nobilior & eligenda in putaminibus cucurbitarum allata, vilior & rejicienda quae in cadis conſiſtentiae mollioris & odoris foetidi advehitur. *Aloe ſuccotrina* inſtructa eſt colore e rubro fuſco, in purpureum inclinante, in pulverem vero redacta, croceo & nitido, ſuperficie ſplendente, ſa-

pore amaro subaromatico, odore minus ingrato, balsamico, myrrham mentiente; pellucida est inprimis in fruſtula diffracta, laevis, magis gummoſa, calore flexilis, frigore compactior & friabilis. In cucurbitarum putaminibus adfertur. Aloe lucida, omnium optima & puriſſima, pellucida, flava, difficillime comparanda in officinis rariſſime occurrit. Perennis, in India utraque, praecipue in Africa & etiam calidioribus Europae regionibus creſcens. Icon vid. *Zorn.* tab. 283 & 284.

Gummi ammoniacum, ſive armoniacum, Ammoniak. gummi, Gummiarmoniak.

⊙

Planta incognita. Gummi-reſina calore manus molleſcens, prunis impoſita ardens, in frigore in pulverem redigenda, in oleis aethereis omnis, in alcohole vini ad dimidium, in aqua, quam colore imbuit lacteo, minus ſolubilis, odoris balſamici fortis, ingrati, aliquantulum alliacei vel caſtorei, ſaporis initio ſubdulcis, nauſeoſi, poſtea amari, ſubacris & reſinoſi. Adportatur vel in maſſis magnis externe obſolete fuſcis, interne ex albicante, rubente & profunde flavo variegatis, quibus copia inhaeret granorum lactei coloris, quae ungues ſive amygdalas vocant, & arena, partibus lignoſis, ſeminibus anethi ſemini ſimilibus mixtis, ſic allatum, gummi ammoniacum in panibus nuncupatur; vel in fruſtulis variae magnitudinis, albis vel flaveſcentibus, ſiccis, friabilibus, invicem conglutinatis, quod gummi ammoniacum in granis vel in lacrymis appellatur. Pro uſu interne

terno praecipue gummi ammoniacum in granis eligendum; quod vero quum difficile comparatu, ungues sive amygdalas candidiores, variegatas, subsplendentes ex panibus gummi armoniaci eximendae & sub titulo: *gummi armoniacum electum* servandae & adhibendae. Notetur & particularum albescentium superficies ex attactu aëris russa reddi. Quo impurius & quo albidarum amygdalarum pauperius, eo vilius & ad usum medicum inutilius censendum. Ex Alexandria ad nos advehitur.

Amylum, Kraftmehl, Amedam: Amidon, Stärkmehl.

□ ⊙

Principium farinaceum frumenti inprimis tritici, ex tritico comminuto per aquam frigidam elicitum, a principio glutinoso secretum, & sponte praecipitatum, coloris nivei, albissimi, inodorum, insipidum, in aqua frigida insolubile, optime vero in calida. Eligatur coloris albissimi, sine omni odore ac sapore, in massas glomeratum, quae sub contritione debili in longa & angusta prismata dissiliunt & in manibus tritum stridens. In variis Germaniae locis praeparatur & exinde ad nos adportatur.

Gummi arabicum, gummi serapionis, *gummi senegallense*, gummi senega vel senica, Arabisches Gummi, Senegall. gummi.

□ ⊙

Mimosa nilotica, & mimosa senegall L. Cl. XXIII. ord. x. Gummi arabicum genuinum ex mimosae nilotiae

cae corticibus in Arabia petraea & Aegypto exsudans & ex regno Turcico ad nos allatum, in officinis nostris rarissime obvium dicitur, sed pro illo prostans gummi senegallense eodem modo ex minosa senegall promanans in provincia gallica prope fluvium senegal Africae sita, per Gallos advectum. Forsan & ejusdemque arboris eductum, certe aequalis virtutis. Gummi, vel mucilago pura, concreta, in pharmacopoliis praesto in frustis globosis vel oblongis variae magnitudinis subinde istius nucis juglandis, solidis, siccis, fragilibus, semipellucidis, subrugosis, e cinereo albis, pallide flavis, vel rufescentibus, fracturae splendentis, odoris nullius, saporis fatui, mucilaginosi, in aqua perfecte solubilibus & cum ea solutionem limpidam efficientibus. In alcohole vini ac in oleis minime solvitur gummi arabicum vel senegallense, nec flammae admotum ardet sed intumescit & in carbonem vertitur. Eligantur frusta albicantia vel flavescentia, in aqua penitus solubilia, inodora ac saporis dicti, rejiciantur impellucida, sordida, rubella, rufescentia, vel nigrescentia. Icon vid. mimosae niloticae *Blackwell.* tab. 377. *Zorn.* tab. 586. Mimosae senegall *Blackw.* tab. 345. *Zorn.* tab. 585.

Asa foetida, gummi asae foetidae, stinkender Asant, Teufelsdreck.

⊙

Ferula asa foetida L. Cl. V. ord. 2. Succus gummoso-resinosus radicum dissectarum, sole condensatus, in massis variae magnitudinis & figurae ad nos allа-

allatus; conſiſtentiae cereae, fracturae languide ſplendeſcentis, coloris flaveſcentis, rubeſcentis, fuſci ſubinde & caeruleſcentis paſſim, molleculis albis, ſubpellucidis interſperſis, odoris alliacei fortis, ſaporis ſubacris amari. Dentibus ſubacta aſa foetida tenax, calore manus molleſcens, in aceto vini tritu ſolerti plane ſolvitur lacteo colore, aqua partes ſolvit gummoſas pauciores, alcohol vini reſinoſas, ab oleis vix afficitur. Divenditur ſubinde pro aſa foetida fraudulenter reſina alba cum ſucco radicis allii contuſa & ſiccata, quae fraus fractura perfectiſſime ſplendente, fragilitate facili & ſolubilitate perfecta in ſpiritu vini detegitur. Eligatur aſa foetida minime unguinoſa, ſubſiccior & flexilis, pura, extus flava vel rubeſcens, interne nonnihil ſplendens ac multis granis albis pellucidis intermixta, odore & ſapore graviſſimo; rejiciatur unguinoſa vel nimis emollita, nimis ſolida vel fragilis, penitus opaca, nigreſcens, arena, corticibus & aliis heterogeneis mixta, odoris ac ſaporis debilioris vel depravati. Perennis, Perſiae indigena.

Balſamum tolutanum, Balſamus de Tolu, Balſamus de Carthagena, Tolutaniſcher Balſam, Tolubalſam.

Toluifera balſamum L. Cl. X. ord. x. Succus reſinoſus in putaminibus cucurbitinis allatus, originitus conſiſtentiae terebinthinaceae, coloris ex flavo fulvi virideſcentis cum rubedine quadam, odoris gravis, miſcelam benzoes, jasmini & citri mentientis, ſaporis calidi, ſubdulcis & grati. Ad nos advehitur balſamum exſic-

siccatum & sub appellatione mala: *opobalsamum siccum de Tolu* venale, pellucidum, fragile, igne liquescens, in aqua non solubile, perfecte vero in alcohole vini, facile cum oleis destillatis, difficilius cum expressis miscibile & in ore detentum mastichis instar in pastam coalescit tenacem. Rejiciuntur frusta e putaminibus exemta, vetustiora, in ore detenta adhuc fragilia, & colophonio vitiata, quod super prunis odore terebinthinaceo proditur. Arbor in insula Tolu vel Honduras novae Hispaniae habitans.

Benzoe, gummi benzoes, asa dulcis, Benzoe, wohlriechender Asant.

□

Styrax benzoin L. Cl. X. ord. 1. Succus resinosus concretus, in magnis massis impressionibus cannae notatis, vel adhuc canna tectis, siccis, duris, fragilibus, opacis, rubicundo-bruneis, quibus multae insperſae sunt moleculae albae vel flavescentes, ad nos adportatur; odoris, praecipue si prunis inspergitur vel teritur vel incalescit, suavis penetrantis, saporis subdulcis ac aromatici. Benzoe flammae admota inflammatur flamma lucida, fuliginosa, superstite carbone nigro; in alcohole vini tota solubilis tinctura profunde ex flavo rubicunda, ex affusa aqua lactescente, nullis oleis solvitur, nec aqua, cui vero per digestionem communicat fragrantem suum odorem. Praestat benzoe pura rubescens & multarum molecularum albarum dives, Benzoe amygdaloides dicta; vilior est, Benzoe in sortis & rejicienda

da fi brunea, nigrefcens, impura, & granis albis vel flavis deftituta. Arbor praecipue in Sumatra habitans.

Camphora, caphora, Kampher.

□ ⊙

Laurus camphora L. Cl. IX. ord. 1. Principium vegetabilium peculiare, inprimis ex dicta arbore elicitum, in glebis parvis plerumque grifeis & variis fordibus contaminatis ex natali loco allatum, fublimatione depuratum & in maffas feu panes orbiculares, in medio communiter perforatas, ultra pollicem craffas coactum. Camphora eft alba, levis, transparens, nitida, fragilis, folida, ad attactum fubpinguis, inter dentes fubtenax, fracturae fplendefcentis & craffis granis cryftallinae, odoris peculiaris graviffimi balfamici, rorismarino fimilis, faporis acris, aromatici, amaricantis, cum fenfu primo uftionis, poftea refrigerationis infignis. Aquae innatat, aëri expofita libero fenfim avolat, per fe non in pulverem redigenda, optime autem cum aliquot guttulis fpiritus vini, flammae admota ardet igne lucido albo, fumoque copiofo nullam cinerem relinquens; in alcohole vini, in acido vitriolico & nitrofo & oleis penitus, minime vero in aqua, in aceto ac in fpiritu falis folubilis, mediante vero mucilagine gummi tragacanthae vel gummi arabici, vel vitello ovorum cum aqua mifcibilis. A pharmacopola fervetur in vefica incluſa & vafi clauſo immiſſa. Ex Java & Japania allata cruda, in Belgia & in Germania depuratur. Arbor in Japania, Java, Borneo, Sumatra & in Capite bonae fpei habitans. Icon vid. *Zorn.* tab. 524.

Car-

Carbones vegetabiles, Holzkohlen, Pflanzenkohlen.

□ ⊙

Corpora sive substantiae post ustionem vel ignitionem, aëris liberi accessu intercepto, lignorum residuae, structuram ac figuram ligni in carbones mutati retinentes; sunt corpora nigra, solida, minus autem dura, sicca, fragilia, insipida, infusibilia ac in aqua insolubilia, quae in aëre libero accensa candescunt, sed sine flamma lucida & sine fumo & fuligine, sensimque in cinerem dilabuntur, candentibus si vero aqua inspergitur, subito flamma exoritur lucida, in vase clauso autem ab igne fortissimo nullam subeunt commutationem. In pulverem redacti & nitro admixti carbones super prunis detonant simulque alcali ex nitro sejungunt, ex mixtione & fusione carbonum cum sali mirabili vel arcano duplicato hepar sulphuris exoritur. Eligantur carbones incunte aestate cocti, in frustis magnis facile fragilibus, solidis, levibus, quodammodo sonoris, figuram ligni retinentibus, nitidis & passim maculis infuscatis notatis, parum denigrantibus, qui si igniuntur, nullam spargunt foetorem, nec flammam largiuntur albam, nec dissiliunt nec crepitant. Gradatio bonitatis in carbonibus lignosis sequens: carbones ex ligno faguum, betularum, carpinorum, acerum, alnorum, pini sylvestris, pini piceae & abietis, quercuum. In regionibus sylvaticis & apud nos carbones methodo nota conficiuntur. Quodsi a pharmacopola ipso carbones ex hoc vel illo ligno v. c. tiliae conficiendi, lignum in argillam humidam cum palea hordacea mixtam involvat, involucro sensim ex-

Combd Jena # 2.60

ſenſimque exſiccato, lignum eo tectum igni culinari vel fornaci piſtorio imponat, ut, candente argilla tegente, lignum in carbonem mutetur.

Catechu, ſuccus japonicus, terra japonica, Katechu, Japaniſche Erde.

⊙

Areca Catechu L. Cl. XXI. ord. 9. Mimoſa Catechu Cl. XXIII. ord. 1. Succus gummoſo-reſinoſus in maſſis proſtans ſiccis, inaequalibus, ſolidis, fragilibus, extus ex rubro nigris, intus fuſcis vel ruſis, linguae minime adhaerentibus, ſaporis adſtringentis, primo ſubdulcis, poſtea amaricantis. In vino, alcohole vini, in aceto ferme penitus ſolubile, optime in ſpiritu nitri dulci, maximam partem etiam in aqua calida, quae ſolutio poſt refrigerationem abit in coagulum mucilaginoſum; in cochleari candente comburitur reſiduo pauco. Adulteratus cum argillacea terra quadam punicea nec in alcohole vini nec in aceto ſolvitur, diffractus ſplendet & in igne indureſcit. Eligatur ſuccus catechu ſiccus, in ore liqueſcens, nigreſcens, ab impuritatibus liber & odore carens empyreumatico. Ex India orientali advehitur, ubi ex fructibus arecae catechu, vel aliarum arborum expreſſus, aut ex ligno & cortice mimoſae cate & forſan etiam aliarum ſpecierum mimoſae extractus creditur. Icon Arecae Catechu vid. *Zorn.* tab. 287.

Gummi ceraſorum, Kirſchgummi.

□ ⊙

Prunus ceraſus & avium L. Cl. XII. ord. 1. Gummi vel mucilago concreta ex corticibus exſudans

arborum vetuſtiorum, gummi ſenegallenſi ſive arabico ſimilis, coloris autem ex flavo rubelli & ſaporis quidem mucilaginoſi aſt ſimul ſubnauſeoſi. Vid. cerasa acida.

Colophonium, colophonia, reſina nigra, **Kolophonien**, Geigenharz, Spiegelharz.

□ ⊙

Poſt deſtillationem olei ſive ſpiritus terebinthinae reſina remanens, denuo fuſa, cocta & colata, ſolida, friabilis, coloris brunei, in pulverem redacta albi, fracturae ſplendentis, odoris ſuper prunis reſinoſi & terebinthinacei. Rejiciatur nigerrimum & impurum. Vid. terebinthina.

Elemi, reſina elemi, gummi elemi, **Elemi**, ächtes Oelbaumharz.

⊙

Amyris elemifera L. Cl. VIII. ord. 1. Succus reſinoſus ex cortice inciſo promanans, ſolidus, fragilis, calore molleſcens, ſemitransparens, flaveſcens vel griſeus cum immixta viredine, odoris peculiaris fragrantis, ad foeniculum accedentis, ſaporis amaricantis. In alcohole vini penitus ſolubilis, minime vero in aqua. Spurium interdum occurrit elemi ex reſina flava cum oleo ſpicae & terebinthinae compoſitum, odore terebinthinaceo detegendum. Rejiciatur elemi friabile, fuſcum vel nigreſcens. Olim reſina elemi advecta fuit in foliis canneis involuta (gomme elemi en roſeaux) ſemipellucida, digitis adhaerens, odoris penetrantis, nunc in maſſis

fis magnis in ciſta incluſis, (gomme elemi en caiſſe) coloris cinereo-viridis, foliis, reſina & aliis impuritatibus mixtis. Arbor in Carolina, Braſilia & nova Hiſpania habitans.

Euphorbium, gummi euphorbii, Euphorbium.

⊙

Euphorbia officinalis L. Cl. XI. ord. 3. Gummi reſina ex frutice dicto, forſan etiam ex pluribus ſpeciebus collecta & caloris ſolaris ope concreta. Guttae vel lacrymae variae magnitudinis & multiplicis figurae, globoſae, oblongae, angulatae, ramoſae, & excavatae vel perforatae, friabiles, arena, terra aliisque heterogeneis ſubinde mixtae, extus ſordide flaveſcentes vel rufeſcentes, intus albicantes, ſaporis poſt longiorem maſticationem mordacis & urentis. Flammae admotum euphorbium ardet odore grato & flamma lucida. Eligendae guttae pallidiores, ſicciores, majores, acriores, & ab inquinamentis purificatae. Frutex in Africa calidiori & capite bonae ſpei habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 340. fig. 2. *Zorn.* tab. 328.

Fuligo ſplendens, Spiegelruß, Caminruß.

⊙

Materia vel ſubſtantia plus minusve cohaerens & ſolida, ex volatilibus lignorum ardentium ſolidis partibus cum fumo aſcendentibus exorta, & parietibus caminorum adhaereſcens, coloris ex nigro fuſci vel atri, ſaporis amari, acris, empyreumatici, odoris ingrati em-

pyreumatici, cum aqua & cum ſpiritu vini tincturam largiens bruneam ſive fuſcam. Eligatur infimis partibus caminorum adhaerens, ſplendens & ab omnibus particulis heterogeneis liber.

Galbanum, gummi galbani, reſina galbani, **Galbanum**, Mutterharz.

□ ⊙

Bubon galbanum L. Cl. V. ord. 2. Gummi reſina ex frutice ſauciato elicita vel expreſſione obtenta. Praeſto eſt communiter in maſſis majoribus, ex fruſtulis ſiccis flaveſcentibus vel ruſeſcentibus & albis nitidis aggregatis, quae facile diffringi poſſunt, ſeminibus ac glumis admixtis, conſiſtentiae tenacis cereae, calore molleſcentis, frigore indureſcentis, odoris gravis ingrati, ſaporis calidi, amaricantis acris. Neque in alcohole vini, quem aureo tingit colore & valde odoratum reddit, neque in aqua, cui lacteſcentem impertitur colorem, neque in aceto, neque in fluidis alcalinis ſolvitur penitus. Eligatur ſiccum, flaveſcens, maculis albis ſubnitentibus dives, odoris fortis, rejiciatur arena, terra aliisque quisquiliis conſpurcatum, coloris brunei vel nigreſcentis, odoris debilis & conſiſtentiae ſemper mollis, nullisque maculis albis ſtipatum. Galbanum olim in granis adportatum ſemipellucidis, extus albicantibus vel ex flavo rubellis, intus pallidis, tenacibus optimum quidem, ſed difficillimum comparatu. Perennis, in Aethiopia, Mauritania, Arabia, Perſia habitans. Icon vid. *Zorn.* tab. 216.

Reſina

Resina guajaci nativa, gummi guajaci nativum, Guajacharz, Guajacgummi.

⊙

Guajacum officinale L. Cl. X. ord. 1. Resina ex arbore exsudans, sicca, in magnis inaequalibus frustis, saepe fragmentis corticis unitis advecta, fragilis, friabilis, diffracta nitens & luci opposita semipellucida, coloris extus ex flavo fusci, intus in viriditatem coeruleſcentem vergentis, interspersis ex flavo bruneis & albicantibus granis, pulverisata saporis amaricantis, acris, urentis, prunis inspersa odoris grati peculiaris. Intra digitos non lenteſcit, intra dentes vero tenax evadit, igne modico funditur, odorem spargens gratum, in pulverem redacta albeſcit & tractu temporis virideſcit, vaporibus spiritus nitri exposita caeruleſcit, etiam cum aqua & saccharo, mediante mucilagine gummi arabici, mixta post aliquot horas virideſcentem, in spiritu vini soluta ex admixtione dicti mucilaginis & ex affuso spiritu salis armoniaci coeruleſcentem induit colorem. Eligantur frusta inaequalia, quibus cortex adhuc adhaeret vel immersus eſt, fracturae virideſcentis & nitidae, granis flavis vel albicantibus variegatae, semipellucida, odoris super prunis admodum grati. Adulteratur cum resina communi per tincturam millefolii colorata & cum colophonio, quae adulterationes defectu coloris radiantis viridis caeruleſcentis & odore empyreumatico ingrato dignoscuntur. Lucri causa pro resina guajaci nativa divenditur subinde resina guajaci factitia, quae solutione in alcohole vini plenaria distinguitur, quum ex uncia nativae circiter solummodo grana 220 in spiritu vini solvuntur,

praeterea sapore minus acri sed amariori. Rejiciatur granulosa, brunea, nigrescens, opaca, optime aequalis, in pulverem redacta ex flavo brunea, purissima, fracturae magis fuscae quam virideſcentis, & super prunis male olens. Vid. lignum quajaci.

Gummi guttae, Gummigutte.

□ ⊙

Guttaefera vera Königii, *Cl. XXIII. ord.* x. Gummi resina ex arbore stillans, siccata ad nos advecta, placentarum largarum vel magdaleonum vel frustorum insignium forma, coloris ex flavo rufi, extus multo obscurioris. Gummi guttae est siccum, friabile, fracturae nitentis, nonnihil transparentis, humectatum pallidum induit colorem, candelae admotum ardet flamma alba scintillante & cineres relinquente, in alcali liquido plane solubile colore sanguineo & limpido; saporis est primo nullius, postea vero acris cum siccitatis sensu, odoris nullius. Rejiciatur grumosum, sabulo & aliis quisquiliis contaminatum & decoloratum. Arbor in regno Siamensi & Zeylona crescens.

Resina hederae, gummi hederae, Epheuharz.

□

Hedera helix L. Cl. V. ord. x. Succus condensatus resinoso-gummosus in Oriente ex frutice dicto exsudans s. elicitus & ad nos in glebis plus minusve magnis allatus friabilibus, extus obscure rufescentibus vel ex fusco nigrescentibus vel ex ferrugineo virideſcentibus, intus coloris

loris flavescentis aut rufi & maculis ferruginis, fracturae splendescentis, ex granis subtransparentibus aggregatis, variisque heterogeneis contaminatis; sapor resinosus subacris & nonnihil aromaticus, odor, sub tritu gratus quodammodo croceus & sub ustione suavis olibanum aemulans. Rejiciantur impuritates & eligatur transparens ac siccum. Frutex Orientis indigena & apud nos habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 188. *Zorn.* tab. 250.

Gummi kino, gummi gambiense, gummi rubrum adstringens, Kinogummi

Planta nondum cognita. Gummi resina ex Africa ad nos advecta, in massis difformibus quibus saepe folia arundinacei generis adglutinata sunt, variae magnitudinis, solidis, fragilibus, ex rubro nigris, opacis, fracturae splendentis & saepe cellulosae, facile in frustula minora rubra & pellucida dissringendis, in pulverem redigendis profunde rubrum, odoris nullius, saporis valde mucilaginosi non ingrati & admodum adstringentis, cum quadam dulcedine. In aqua & alcohole vini colore solvitur rubro, optime autem in spiritu nitri dulci. Sub mastication stridet, dentibus adhaeret & salivam colore saturatius rubro tingit; flamma vix accenditur, nec liquescit sed tandummodo ignitur & cinerem relinquit griseum.

Manna calabrina, manna vulgaris, Manna, calabrische Manna.

□ ⊙

Fraxinus ornus L. & *Fraxinus rotundifolia*, *Fraxinus excelsior L. Cl. XXIII. ord.* 2. Succus ex

trunco & ramis ſpecierum fraxini dictarum promanans & in aëre condenſatus, ſaccharinus. Praeſto eſt apud nos in maſſis difformibus variae magnitudinis, ſubmollibus ſiccis, grumoſis, facile diſcerpendis, ex glebis albo-flaveſcentibus & ſubgriſeis conflatis, communiter fragmentis corticis & ligni, arena & aliis quisquiliis contaminatis, odoris ferme nullius, ſaporis dulcis, ſubnauſeoſi. Eligatur quae diffracta pauxillum mannae liquidae, inſtar mellis, oſtendit, levis, ſiccior, nonnihil pellucida, pura, facile in grumos diſſiliens, non tenax aut ſequax, coloris albicantis cum rubedine quadam, ſuper lingua penitus deliqueſcens ſapore dicto. Manna pura in aqua & alcohole vini ferme penitus ſolvitur, ſi ficca eſt flamma admota ardet. Rejiciatur conſiſtentiae melleae, ſordida, coloris obſcurioris, odoris & ſaporis peregrini. Adulterationem cum ſaccharo farinaceo vel penidio vel melle color denotat fuſcus & opacitas; corruptionem cum arena alba vel amylo ſolutio aquoſa prodit, & cum ſale mirabili vel alio ſale neutro ſolutio ſpirituoſa. *Manna cannellata* ſive *longa* in fruſtis aliquot pollices longis, unum circiter latis vel tubuloſis vel uno latere convexis, ex ſtratis ſive tabulis compoſitis, coloris albi & in aqua penitus ſolubilibus optimae quidem notae eſt, ſed rariſſime ad nos genuina & adulterationis expers venit. Manna craſſa, ſpiſſa vel ſordida penitus ex pharmacopoliis exulet ſic & Manna Brigantina, pini laricis ſuccus & ſaporis terebinthinacei. *Mannae electae* ſub appellatione in officinis ſervanda manna calabrina eſt ſive vulgaris, puriſſima, ſive grana vel glebae ejusdem majores albae

albae vel rubellae, transparentes electae. Sicco & calido loco servetur manna in pharmacopoliis, in humido enim posita diffluit in tabem ingratam & plane inertem. Ex Calabria, Sicilia & Apulia, advehitur. Icon *Fraxini orni* vid. Zorn. tab. 574.

Mastix, Mastiche, gummi masticheos, Mastix.

☉ □

Pistacia lentiscus L. Cl. XXII. ord. 5. Resina ex sauciato arboris cortice in insula Chio hunc in finem inprimis cultae stillans. Advehitur in granis sive lacrymis variae magnitudinis, fragilibus, siccis, leviter subpellucidis, fracturae aequalis nitidae, citrini coloris, odoris dulcis subbalsamici, saporis aromatici quodammodo adstringentis; masticata mollescit & tenax evadit, super prunis grato odore inflammatur, in alcohole vini & oleis expressis praecipue vero in essentialibus solvitur: Eligantur e mastiche in sortis grana majora, coloris flavescentis, semipellucida, nitida, & rejiciatur resina mastichis coloris profundioris, caerulescentis, sordidi, impura, & mastix in panibus adulterationis valdopere suspecta. Arbor in insulis Archipelagi, in Sicilia, Italia, Hispania crescens. Icon vid. *Blackw.* tab. 195. *Zorn.* tab. 580.

Myrrha, gummi myrrhae, myrrha rubra, Myrrhen.

☉

Stirps obscura, secundum Bruce mimosae species. Succus gummoso-resinosus in granis sive lacrymis allatus diversae magnitudinis & figurae, inaequalibus,

fragilibus, subpellucidis, fracturae splendescentis, coloris ex rubro brunei, vel e fulvo ferruginei, saporis aromatici valde amari, nonnihil pungentis, odoris fragrantis specifici. Specimina majora interne interdum variegata sunt maculis vel striis incurvatis albis. Masticatione mollescit, dentibus adhaeret & salivam lacteo imbuit colore, difficulter inflammatur & cum flamma fuliginosa strepente, in aqua plus solvitur quam in alcohole vini. Myrrha in sortis aliis gummatibus adulterata, divesque granorum nigrescentium rejicienda. Eligantur grana fulva & rufa, intus uti dictum variegata, fragilia, pellucidula, levia, ad tactum non pinguia, sed manui calidae nonnihil adhaerentia, odoris & saporis fortis; rejicienda duriora, fusca, nigrescentia, albicantia, odoris nauseosi vel alieni, saporis nullius sive peregrini. Fruftula gummi ceraforum immixta colore profundiore, splendore clariori, & saporis ac odoris destitutione dignoscenda, & ante usum strenue rejicienda. Pelluciditas myrrhae suspectae arte per affusionem spiritus vini efficitur, quod facili granorum cohaerentia & minori fragilitate dignoscitur. Ex Africa, Arabia, Abyssinia, Aegypto advehitur.

Balsamus nucistae, oleum nucis moschatae expressum, oleum nucistae, balsamus nucis moschatae. Muskatennußbalsam, ausgepreßtes Muskatennußöl.

□ ⊙

Ex nucibus moschatis recentibus contusis, in saccis linteis inclusis, vaporibus aquae calefactis prelo expressum oleum calido, consistentiae sebaceae. Ex India

per

per Belgas in maſſis allatum planis, quadratis, ſolidis, glabris, coloris ex aureo cinamomei, odoris & ſaporis moſchatini, in aethere penitus ſolubile, in alcohole vini oleum aethereum extrahente colorem amittens. Profundius flavum, durius, cum alcohole vini colorem flavum aſſervans, cera flava adulteratum eſt; cum aethere vini turbidam, flavam, albam, lacteſcentem largiens mixturam, cera alba, axungia, butyro depravatum. Optimum in lagenis lapideis allatum & conſiſtentiae ſyrupi, optimum quidem ſed rariſſimum. Vid. nuces moſchati.

Olibanum, gummi olibani, thus, Weihrauch, Weihrauchharz.

□

An *juniperus lycia*, an *juniperus thurifera L. nondum determinatum. Cl. XXII. ord.* 12. Succus reſinoſo-gummoſus e cortice exſudans. Proſtat in granis variae magnitudinis & figurae, ſaepe invicem cohaerentibus, ſemipellucidis, ſiccis, fragilibus, extus ex albo ſubluteis vel rubellis, ſaporis balſamici amari, ſubacris, odoris dulcis reſinoſi, ſuavis. Olibanum maſticatum dentibus adhaerens, friabile nec in maſſam coagibile, facile inflammatur flamma lucida & odore gratiſſimo, cum aqua lacteſcit, in alcohole vini maximam partem ſolvitur. Eligantur grana ſicca, dilute lutea, fragilia, rejiciantur opaca, ruſa, ramentis corticoſis & quisquiliis variis intermixta. Contaminatio reſina pini, quae thus vulgare vocatur, & laricis, colore e flavo & ruſo variegato, ſapore amariore ingrato & ſuper igne odore di-

dignoſcitur terebinthinaceo. Ex Arabia & Aethiopia per Meccam Cairam allata ad nos advehitur. Frutex Arabiae & Aethiopiae indigena, etiam in Hiſpania & in Gallia habitans.

Opium, opium crudum, opium thebaicum, Mohnſaft, Opium.

⊙

Papaver ſomniferum L. Cl. XIII. ord. 1. Succus e capſulis elicitus & condenſatus gummoſo-reſinoſus, in fruſtis ſubrotundis, epidermide capſularum interna, ſubinde foliis papaveris, nicotianae aliorumque vegetabilium praecipue vero rumicis cuiusdam veſtitis & involutis, ac pulvere conſperſis vario, diverſae magnitudinis. Opium eſt ſolidum, compactum, plane opacum, etiam in marginibus tenuiorum fragmentorum, intra digitos molleſcens, ſectione communiter in fruſta diſſiliens, fracturae ſplendeſcentis, e rubicundo brunei aut pulli coloris, ſaporis amaricantis nauſeoſi & fortis ſubacris, odoris gravis terri. Opium eligendum, ſit obſcure fuſcum, denſum, ſiccum, leve tenax, fracturae particulis nitidis micantis, maſticatum ſalivam nec imbuens colore bruneo, ſaporis amari acris, in faucibus fervorem quendam excitantis, candelae admotum facile flammam arripiens & fere penitus in aqua ſolubile & tincturam exhibens puniceam, comminutum largiens pulverem fulvi coloris. Rejiciendum molle, friabile, variis heterogeneis inquinatum, coloris profunde pulli ſeu nigreſcentis, odoris debilis vel empyreumatici, ſuc-

co

co liquiritiae adulteratum ſapore dulciore & lineo integra ac obſcuriori dignoſcitur, quae ex madefacto opii adulterati fragmento chartae albae inducta oritur, quum opium purum & genuinum lineam oſtendit dilute bruneam & interruptam; ſabulo inquinatum opium proditur ſectione ſtridente, ſolutione & microſcopio. Ex Turcia, Perſia, Arabia, Aegypto aliisque locis calidioribus Aſiae advehitur. Vide capſulae papaveris.

Opopanax, gummi opopanacis, Panaxgummi.

Paſtinaca opopanax L. Cl. V. ord. 2. Gummi reſina ex caule & radice elicita, in granis advecta diverſae magnitudinis, extus e bruneo flaveſcentibus vel e rubro luteis & albis maculis notatis, intus vero pallidioribus, ſubviſcidis & fragilibus, odoris peculiaris fortis, ſaporis amaricantis, acris ſubnauſeoſi, leviſticum aemulantis. Rejiciatur opopanax nigrum, durum, vel nimis molle, multisque impuritatibus contaminatum. Ex Syria & Oriente adportatur. Perennis, & in Sicilia & Italia habitans.

Pix burgundica, Burgundiſches Pech.

□

Pinus abies L. Cl. XXI. ord. 8. Reſina ex cortice ſponte ſtillans in lebete cum aqua cocta, ut primum bullire incipit exemta & per facculos laneos premendo permiſſa. Mollis, coloris flavo-brunei, ſaporis ac odoris therebinthinacei.

Pix solida communis, pix sicca, pix flava, pix navalis, Pech, gemeines Pech, gelbes Pech.

□ ⊙

Pinus abies L. Cl. XXI. ord. 8. Succus resinoso-gummosus ex corticibus fauciatis elicitus, in fornacibus picariis eliquatus & destillatione quadam per descensum in labra lignea plus minusve magna, communiter centenarii capacia, receptus. Pix est solida, calore leni liquescens, flammae admota ardet fumo nigro & odore ingrato resinoso, suffocante; coloris est vel nigrescentis vel flavi vel bruni, fracturae splendescentis. Eligatur coloris flavi, vel brunei. Paratur in Thuringiae Hercyniae regionibus sylvaticis. Arbor in sylvis humidis Europae frequens. Icon vid. *Blackwell.* tab. 198. *Zorn.* tab. 527.

Resina alba communis, weisses gemeines Harz.

□ ⊙

Pinus sylvestris L. Cl. XXI. ord. 8. Resina ex cortice sponte stillans, in aëre condensata, tenax, coloris albi, flavi vel brunei, odore ardens valde ingrato. Eligatur coloris albi & ab omnibus impuritatibus liberata. Vid. turiones pini.

Sago, sego, grana Sagu, Sagu.

□ ⊙

Sagus Murr. *Palma farinaria Rumpf.* Medullae pars farinosa, affusa aqua elaborata & ante siccationem perfectam inter palmas in particulas exiguas contrita, agi-

agitando in ventilabro, & supra aulaeum granulata, postea magnitudinis aequalis causa per cribrum transmissa, primum sole, deinde intra lebetes ferreos super leni igne exsiccata. Praesto est in granis magnitudinis a semine brassicae ad coriandri & supra ascendentis, coloris albidi vel rubelli, vel rubro-fusci, durissimis, quae cum aqua decocta mollescunt, intumescunt & pellucida evadunt, nec oleis nec alcoholi vini solubilibus. Rejiciatur Sago spurium, minori duritie, & decoctione in farinam resoluente dignoscendum. Arbor in insulis Moluccanis praesertim in insula Ceram frequens & in reliquis insulis Asiae australis & in nova Guinea.

Sagapenum, gummi sagapenum, Serapinum, Sagapen, Serapingummi.

Planta incognita. In massis communiter praesto est difformibus & variae magnitudinis, ex glebis multiplicis coloris, flavescentis, rubelli, rufi, viridis, coacervatis, ac festucis lignosis, seminibus & integris, & mutilatis inquinatis, mox durioribus mox mollioribus. Optimum est, quod in frustulis minoribus, distinctis, semipellucidis, homogeneis & communiter rubris advehitur, pro usu medico eligendum, ac sedulo comparandum. Sapore sagapenum praeditum est amaricante, calido & vellicante, odore gravi ingrate porraceo. Masticatum dentibus adhaeret, albescit & deliquescit, in manibus mollescit, & adhaeret, in aqua maximam partem solvitur, minorem vero in alcohole vini, super igne non funditur; super prunis ardet, odore ingrato alliaceo. Ex Persia & Syria per Alexandriam advehitur.

Sapo

Sapo alicantinus albus, Sapo hispanicus, weiße Alicantseife, Spanische Seife.

□ ⊙

Substantia ex conjunctione olei olivarum & salis minerali causticо artefacta, solida, albicans, flavescens, levis, cum aqua solutionem largiens lacteam, cum alcohole vini autem limpidam, cujus solutiones agitatae spumant, alias substantias cum aqua miscibiles reddens, & per quodvis acidum via humida decomponenda. Eligatur dura, digitos pinguedine non inquinans, alba, in aëre non humescens, sale non inductus, in aqua destillati facile & penitus solubilis, sic & in spiritu vini, excepto pauco residuo calcareo, soluta oleum, in superficie in forma cuticulae natans, non dimittens, & cum ambobus optime spumans, nec ingrati & rancidi odoris vel saporis. Rejiciatur omnis sapo variegatus, ergo & venetus, quippe peregrinorum additamentorum forsan nocentium suspectus. Plerumque ex Marsilia adportatur.

Scammonium Aleppense, Diagrydium, Aleppischer Purgierwindendarz, Scammonium von Aleppo.

Convolvulus scammonia L. Cl. V. ord. 1. Succus resinoso-gummosus, e radice elicitus & siccatus, in massis solidis, aridissimis majoribus advectus. Scammonium Aleppense est leve, spongiosum, friabile, fracturae splendescentis, coloris extus saturate cinerei & flavescentis, saporis primo debilis, postea vero amaricantis & acris peculiaris, nauseosi, digito humido tritum colorem ostendit ex albo flavum, & pulverisatum dilute cine-

nereum vel albicantem, cum aqua ſolutionem largitur lacteam virideſcentem ſedimento pauco, in ſpiritu vini tenuiori penitus ſolubile, impuritatibus ſolummodo remanentibus. Rejiciatur ſcammoneum Smirnaeum, nigredine profundiore, compage compactiori, gravitate majori & impuritate copioſiori dignoſcendum; & viliſſimum Antiochenum, nigerrimum, multis foraminibus & cavis notatum, carbonibus, cineribus, arena inquinatum, odoremque habens empyreumaticum. Adulterationes cum ſuccis plantarum analogarum v. c. euphorbiae, aſclepiadis ſyriacae, apocyni &c. odor peregrinus & ſedimentum copioſius prodit. Perennis, in Aegypto, Syria & Palaeſtina habitans. Icon vid. *Zorn.* tab. 214.

Terebinthina cocta, reſina flava Lond., gekochte Terpentin, Terpentinharz.

Reſina ex terebinthina, coctione cum aqua & refrigeratione, parata, vel reſiduum in veſica poſt deſtillationem ſpiritus terebinthinae. Dura, transparens, coloris obſcure flavi, odoris terebinthinacei, ſaporis reſinoſi aliquantulum empyreumatici.

Gummi tragacanthae, Gummitragant.

□ ⊙

Aſtragalus tragacantha L. Cl. XVII. ord. 3. Succus gummoſus ſponte ex cortice prorumpens, contactu aëris condenſatus & in laminis rugoſis lineam plus vel minus craſſis, inteſtinulorum inſtar contortis, vel in granis ſaepiſſime cavis advectus. Gummi albicans

tractu temporis flavescens vel cinereum, fracturae albae, nitidae, semipellucidum, fragile, odoris nullius, saporis mucilaginosi. Difficile in aqua solvitur, intumescit quidem & cum majori aquae quantitate, crebra agitatione, turbidam init miscelam, sed quiete sedimentum glutinosum fundum petit, aqua supernatante iterum limpida. Rejiciatur sordide flavum vel fuscum, impuritatibus inquinatum, tragacantha in sortis sive gummi de Balsora nuncupatum. Ex Europa meridionali plerumque vero ex regno turcico adfertur. Frutex in Gallia meridionali, Italia, Graeciae insulis & Oriente crescens. Icon vid. *Blackwell.* tab. 264. *Zorn.* tab. 487.

VIII. Principia & producta vegetabilia liquida.

Oleum anisi destillatum, Anisöl.

□ ⊙

Oleum aethereum ex anisi paleis destillatione paratum, coloris albicantis vel subflavescentis, saporis blandi ac dulcis, odoris validi penetrantis, frigore minori (50 Fahr.) congelascens, ergo communiter consistentiam butyraceam habens. Adulteratio oleo olivarum, eodem modo, ac depravatio aliorum oleorum essentialium cum oleis expressis, cognoscitur. Ex Thuringia, Magdeburgo & aliis locis ad nos venit. Vid. Semen anisi.

Balsa-

Balſamum copaivae, balſamum copalba, balſam. de Copahu, balſamum braſilienſe, Copaivabalſam, Copahubalſam.

⊙

Copaifera officinalis L. Cl. X. ord. 1. Ex trunco arboris ſauciato promanans reſina oleoſa fluida, conſiſtentiae therebinthinae. Eligatur balſamum limpidum, coloris flaveſcentis, aquae ſupernatans, in alcohol vini quatuor partibus penitus ſolubile, odoris grati fragrantis, non terebinthinacei, ſaporis amaricantis, ſubaromatici, ſubacris; rejiciatur contra opacum, conſiſtentiae melleae, ſubturbidum, coloris profundioris, odore, ac amaricante ſapore, genuino debilius. Adulteratio balſami copaivae cum oleo quodam expreſſo, detegitur ſolutione in alcohole vini vel tinctura tartari lactea & turbida, quum genuini pellucida manet; cum therebinthina depravatum balſamum odore & ſapore terebinthinaceo dignoſcendum. Balſami copaivae ſpecies aliquando occurrit in pharmacopoliis albicans, minus limpida, ſpiſſitudinis mellae, odoris terebinthinacei, ſaporis ingrati, cujus in fundo tantillum aquae turbidae ſtagnat, quae ſpecies vel adulterata eſt vel decoctione ramorum & corticis arboris parata, & exulenda. Arbor in nova Hiſpania & inſulis Antillanis habitans. Icon vid. *Zorn.* tab. 323.

Balſamus peruvianus niger, balſamum indicum nigrum, balſam. de Peru, ſchwarze Perubalſam, ſchwarzer indianiſcher Balſam.

□ ⊙

Myroxilon peruiferum L. Cl. X. ord. 1. Reſina

 oleo-

oleosa fluida, ex ligno, cortice & foliis coctione obtenta, consistentiae syrupi, coloris e spadiceo nigricantis, opaca, ponderosa, odoris fragrantis vanigliae quodammodo similis, saporis aromatici, acris, subamaricantis. Prunis inspersum balsamum peruvianum odorem spargit gratum, inter digitos diductum fila subtilia pellucidula exhibet, aquae frigidae guttatim instillatum fundum petit, bullienti vero in pelliculam oleosam supernatantem & in partem graviorem subsidentem dehiscit, cum aqua & oleis expressis non miscibile, in alcohole vini minus solubile quam in spiritu vini rectificato, oleis aethereis genuinis se conjungens & cum illis conjunctum in alcohole vini penitus solubile, cum oleo vitrioli in mixturam coeuns rubicundissimam & plane sine calore aut effervescentia. Rejiciatur balsamum cum oleis expressis conjunctionem permittens, in alcohole vini penitus solubile, nigrum, odoris empyreumatici, sive debilis minusque suavis, cujus guttula chartae instillata rubicunda apparet & promte defluit. Adulteratio cum balsamo copaivae ex instillatione olei vitrioli effervescentiam & male olentem fumum excitante, dignoscenda; cum oleo quodam ope cerae contaminatum balsamum, ab heterogeneis separatur & fundum petit, si super igne collocatur; cum saccharo tosto vitiatum oleis aethereis nec conjungitur, nec in spiritu vini solvitur & in cochleari candenti super prunis initio quidem odorem genuini gratum, postea vero sacchari usti largitur, carbone remanente difficili incineratu. Spurium sive artefactum balsamum vel ex gemmis populi & oleo benzoes,

vel

vel ex benzoe, ſtyrace, oleo & aſphalto, odore & aliis dictis notis characteriſticis a probo dignoſcitur. Arbor in calidiſſimis regionibus Americae hiſpanicae v. c. in Terra firma habitans.

Succus betulae, Birkenſaft, Birkenwaſſer.

□ ⊙

Betula alba L. Cl. XXI. ord. 4. Succus perforatione ramorum ſuperiorum circiter tres pollices craſſorum, diebus calidis, meridie & auſtro vel favonio flante, praecipue primo vere ante frondium eruptionem facta, elicitus, coloris flaveſcentis, ſaporis acidulli dulcis. Servetur oleo olivarum tectus, vel in vaſe fumo ſulphuris antea impregnato, ne fermenteſcat. Arbor in ſylvis noſtris habitans. Icon vid. *Blackw.* tab. 240. *Zorn.* tab. 546.

Oleum cajeput, oleum cajaputi, oleum cajepoet, oleum kujaput, Kajeputöl.

⊙

Melaleuca leucadendra L. Cl. XVIII. ord. 4. Oleum aethereum ex foliis deſtillatum limpidum, pellucidiſſimum, coloris graminei vel caerulei virideſcentis, odoris camphoracei fortis, ſaporis aromatici cardomomum aemulantis, fortis, initio calidi poſtea refrigerantis, accenſum vel evaporationi commiſſum ne minimum relinquens reſidui. Rejiciatur oleum cajeput profunde viride, minusque pellucidum, mangoniſationis ſuſpectum, & oleum factitium ex oleo rorismarini & cam-

phora, quod saccharo instillatum & in aqua solutum, camphoram aquae ostendit innatantem. Destillatur in India orientali nominatim in insula Banda, vasis cupreis, exinde in ejusmodi ampullis, unde verosimile color viridis caeruleſcens exoritur, Bataviam & deinde in Belgium mittitur, ex quo ad nos adfertur. Arbor in insulis Moluccanis habitans. Icon vid. *Zorn.* tab. 307.

Oleum caryophillorum aromaticorum indicum sive *hollandicum*, Indiſches oder Holländiſches Gewürznelkenöl.

□

Caryophillus aromaticus L. Cl. XIII. ord. 1. Oleum aethereum caryophillorum in loco natali destillatum, oleo caryophillorum expresso vel oleo terebinthinae adulteratum & extracto caryophillorum acrius reditum vel oleo piperis jamaicensis vitiatum, coloris fusci seu rusi, saporis acerrimi & urentis, in aqua fundum petens & cum spiritu nitri concentrato in flammam erumpens. Ex India advehitur in Belgium, ex quo ad nos adfertur. Vid. caryophilli aromatici.

Oleum de cedro, oleum del cedro, oleum corticum citri, essenza di cedro, weſentliches Zitronenöl.

□ ⊙

Citrus medica L. Cl. XVIII. ord. 3. Oleum corticum citri aethereum plerumque ex flavedine corticum citri recentium scarificata promanans & expressum, limpidiſſimum, album vel dilute flaveſcens, odoris & saporis suavis, fortis, exacte citrini; subinde alcohole vini

vini adulteratur, quod cognoſcendum, ſi aqua ab inſtillatis aliquot guttulis olei lacteſcit, hoc vitiatum uti & turbidum rejiciatur. In Italia & Sicilia paratur. Vid. fructus citri.

Oleum foeniculi deſtillatum, Fenchelöl.

☐

Anethum foeniculum L. Cl. V. ord. 2. Oleum aethereum ex foeniculi paleis deſtillatum, coloris dilute flaveſcentis, ſaporis & odoris ſuavis, blandi, dulcis ſeminum, frigore minore partim in ſubſtantiam butyraceam congelans. Deſtillatur in Thuringia, Saxonia, unde ad nos venit. Vid. ſemen foeniculi.

Oleum lavendulae deſtillatum, Lavendelöl.

☐

Lavendula ſpica L. Cl. XIV. ord. 1. Oleum aethereum ex floribus ſponte deciduis deſtillatum, pellucidum, ex albo flavum, odoris florum ſuavis, ſaporis acris. Deſtillatur in Gallia & Italia, unde ad nos adfertur; in noſtris regionibus deſtillatum, odore crudo & auſtero diſtinguendum. Saepe oleo terebinthinae vel ſpiritu vini occurrit adulteratum. Vid. flores lavendulae.

Oleum baccarum lauri expreſſum, oleum laurinum, Lorbeeröl, Lorbeeröl.

☐ ☉

Laurus nobilis L. Cl. IX. ord. 1. Oleum ex aethereo & unguinoſo conjunctum, e baccis maturis recentibus affuſa aqua coctis expreſſum, icoloris viridis

nonnihil flavescentis, consistentiae granulatae butyraceae odoris laurini, saporis amari, in aethere vini penitus solubile, alcohole vini solummodo colorem & oleum aethereum extrahente. Adulteratur adipe suilla, quod solutione in aethere lactescente dignoscitur; cum oleo terebinthinae, quod odore & sapore spiritus vini cum oleo suspecto triti proditur. Viridi aeris mangonisatum viriditas saturata & color caeruleus spiritus salis armoniaci volatilis cum oleo agitati denotat. Rejiciatur intense viride, nimis fluidum, aequaliter unguinosum, odorisque debilis. Ex insulis fortunatis & ex Italia advehitur; ex Gallo-provincia allatum inutile dicitur. Vid. baccae lauri.

Oleum lini, Leinöl.

□ ⊙

Linum usitatissimum L. Cl. V. ord. 5. Oleum ex seminibus lini frigide expressum, pellucidum, lutei coloris, odoris specifici ingrati, saporis pinguis nauseosi, intenso frigore minime congelascens, aëri expositum sensim exsiccescens, flamma flagrans fumante & male olente, facile in rancorem degenerans. Rejiciatur turbidum, obscure luteum, saporis acris sive rancidi. Servetur loco frigido bene clausum. Exprimitur apud nos in molis olearils. Vid. semen lini.

Oleum olivarum virgineum, oleum olivarum album, Provenzeröl, weißes Baumöl.

□ ⊙

Olea europaea L. Cl. II. ord. 1. Oleum ex fructibus expressum, pellucidum, albidum vel subflavum, odo-

odoris leviſſimi, ſaporis ſubdulcis, blandi, frigoris impatiens, & grad. 40 Fahr in maſſam ſebaceam albam cogitur, remanente, in meditullio, quopiam olei clari minime coagulabilis; aëri expoſitum non exſiccescens, flamma ardens lucida parum fumante, vix olente. Rejiciatur profunde flavum, virideſcens, opacum, turbidum, odoris mali ſive piſcini ac ſaporis rancidi ſive acris. Oleum olivarum rancidum vel alio modo vilius, emendationis ſcopo, vitiatur ſubinde plumbo, interdum etiam contaminatur oleo lini, vel raparum quibus albedo & dulcedo ope plumbi procurata eſt, quod oleum particulis ſaturninis venenatum & ideo rejiciendum per colorem bruneum ſeu nigreſcentem ex inſtillato liquore vini probatorio facile detegitur. Adulteratio aliis cum oleis v. c. lini, raparum, papaveris, congelatione ſeriori, bullulis aëreis in agitatione & flamma impura proditur. Ad praecavendum rancorem plerumque in loco natali ſal marinum oleo admiſcetur transmittendo, quod agitatione crebra & forti in itinere ſubinde ex fundo commotum, ob ſpiſſationem olei in temperatura frigidiori cum eo mixtum manet & ſaporis auctor evadit ſalini. In Gallia, Italia & Hiſpania paratur. Arbor Europae meridionalis indigena. Icon vid. *Blackw.* tab. 199. *Zorn.* tab. 319.

Pix liquida nigra, Cedria, Schiffpech, ſchwarzer Theer.

□

Liquidum craſſum reſinoſum, empyreumatico-oleoſum, particulis acidis adhuc permixtum, deſtillatione per

descensum ex lignis & radicibus variarum arborum aceroſarum inprimis pini ſylveſtris L. eliquatum, tenax, nigrum, in aqua partim ſolubile, odoris gravis ingrati, ſaporis amari empyreumatici. Paratur in Thuringia, in Suecia & Norwegia.

Spiritus vinoſus frumenti, vinum aduſtum, Kornbrantwein, Brantwein, Fruchtbrantwein.

□ ⊙

Spiritus inflammabilis deſtillatione ſimplici ex cerealibus, praeſertim ex ſeminibus ſecalinis, fermentatione praegreſſa elicitus, limpidus, albus, odoris volatilis, ſaporis acris, minus grati. Eligatur per agitationem bullulas largiens mox pereuntes, oleum expreſſum ſubito ad fundum transmittens, araeometri demiſſionem ſupra quinque gradus permittens, nec odore nec ſapore adventitio notatus. Saepe ex neglectis vaſis deſtillatoriis contaminatus eſt particulis cupreis, quae mangoniſatio, colore coeruleo ex admixtione ſpiritus ſalis armoniaci volatilis, & colore virideſcente fruſtuli calcis vivae immiſſi dignoſcitur. Spiritus apud nos bene notus & crebro paratus.

Spiritus vini gallici, ſpiritus vini rhenani, ſpiritus vini tenuior, Franzbrantwein, Rheinſcher Brantwein.

□

Spiritus inflammabilis volatilis deſtillatione ſimplici e vinis gallicis & ex fecibus ejusdem vel vinaceis fermentantibus prolicitus, pellucidus, primitus coloris albi, communiter vendibilis vero coloris flavi vel ex dolis

lis quercinis quibus includitur, vel aliis ex colorantibus rebus adventitii, odoris & saporis fortioris & gratioris spiritu frumenti, araeometrum supra sex gradus immittens. Rejiciatur saporis acidi, vel oleosi, odoris ingrati nauseosi, & cujus color flavescens cum vitriolo martis non coeruleſcit. Cum spiritu vinoso frumenti adulteratus in cochleari accensus, relinquit phlegma saporis & odoris ingrati empyreumatici, farinae tostae similis, fauces quasi scabrantis, quum phlegma spiritus vini probi & genuini sapore praeditum est acidulo & subacri. Spiritus in Gallia ex vini fecibus & in Germaniae regionibus ad rhenum ex vinaceis destillatur.

Terebinthina, terebinthina larigna, terebinthina veneta, Terpentin, Lerchenterpentin, Venedischer Terpentin.

□ ⊙

Pinus larix L. Cl. XXI. ord. 1. 2. Succus resinoso - oleosus vel sponte vel ex foraminibus cortici terebratis promanans, consistentiae mellis vel syrupi, tenax, pellucidus, coloris albi flavescentis, odoris gravis, resinosi, ingrati, saporis amaricantis pungentis, nauseosi. Eligatur terebinthina recens, liquida, albidior & pellucidior, cujus guttula ungui instillata, adhaeret; rejicienda vero crassa, flava, vel subfusca. Adfertur ex America septentrionali, ex Germania australi, ex Sabaudia, Helvetia, Delphinatu. Icon vid. *Backw.* tab 477. *Zorn.* tab. 89.

Oleum

Oleum terebinthinae, spiritus terebinthinae, Terpentinöl, Terpentingeist.

□. ⊙

Oleum essentiale destillatione cum aqua ex terebinthina separatum, limpidum, albicans, saporis acris, calidi, odoris terebinthinacei. Oleo pini contaminatum odore cognoscitur mere resinoso & eo quod concreta resinosa v. c. copal, sandarac minime solvit. Adfertur ex locis unde terebinthina advehitur.

Vinum gallicum album, weißer Franzwein.

□ ⊙

Vitis vinifera L. Cl. V. ord. x. Succus uvarum in Gallia expressus, fermentationem vinosam passus & depuratus, coloris ex albo flavescentis vel flavi, saporis acido dulcis cum grata acerbitate. Vinum gallicum nimis sulphuratum ex instillata solutione argenti in spiritu nitri sedimentum deponit bruneum sive nigrescens, cum alumine inquinatum ex instillatione spiritus salis armoniaci caustici turbidum albo colore evadit; cum calce viva contaminatum ex instillato vitrioli acido sedimentum deponit album in spiritu salis acido minime solubile. Admixtio spiritus vini destillatione detegitur, spiritus enim ante gradum 200 Fahr destillans vino admixtus est, innatus enim vix ante ignis gradum 212 Fahr expellitur. Ex Gallia Bremam, Hamburgum, Lubecam mittitur, unde ad nos advehitur. Icon vid. *Blackw.* tab. 154. *Zorn.* tab. 276.

Vinum hiſpanicum alicantinum, ſive illicitanum ſ. alonenſe, Alicantwein.

□

Vinum hiſpanicum ex nigro rubeſcens, opacum, ſpiſſiuſculum, tartarum ad lagenarum latera deponens, ſaporis initio dulcis ſubnauſeoſi, poſtea amaricantis ſubauſteri.

Vinum hiſpanicum ordinarium, Spaniſcher Wein, Peterſimonswein.

□ ⊙

Vinum in Hiſpania paratum, flavum, tenue, ſaporis dulcis quadam cum amaritie, ſaepe ſyrupo aut melle adulteratur, quod cognoſcitur ex ſapore dulci aquae communicato, ſi vitrum anguſtioris colli vino ſuſpecto plenum, vaſi aqua pleno inverſum immittitur.

Vinum rhenanum, Rheinwein.

□ ⊙

Vinum in Germania ex uvis ad rhenum creſcentibus paratum, tenue, flaveſcens, ſaporis ſubacidi vinoſi. Plumbo mangoniſatum ex ſapore dulci ſubadſtringente, & colore ruſo nigreſcente cognoſcitur, ſi tribus partibus vini pars una liquoris vini probatorii Hahnemanni ſubito inſtillatur.

Vinum rubrum cahors, Caborswein.

□

Vinum burdigalenſe coloris profunde rubri, tenue, auſterum, ſubadſtringens. Succo myrtillorum vel aliis

aliis vegetabilium succis fucatum, ex corruptione facillima, lagenarum infectione crassa & ex residuo colorato in filtro cognoscendum; alumine vitiatum ex admixta salis alcalini fixi solutione turbidum redditur, colore ex griseo coerulescente imbuitur, sedimentumque deponit ex albo griseum.

IX. Salia vegetabilia pura & impura, acida & alcalina, fluida & crystallisata.

Acetum vini, Weinessig.

□ ⊙

Fluidum limpidum ex albo flavescens, saporis valde acidi, odoris grati, ex acescentibus vinis, vel ex fecibus vini vel ex ambobus mixtis vel ex vinaceis fermentatione paratum. Acidum est impurum, ex acido aceti & tartari, ex tartaro, principio saccharino, terra calcarea, mucilagine, & aqua aggregatum. Bonum in lingua nullum relinquat saporem mordacem sive urentem, & saltem quadragesimam sui partem salis alcalini vegetabilis depurati saturet. Rejiciatur acetum vini turbidum, vapidum, saporis ac odoris vapidi vel putridi, saporis urentis & omne adulteratum. Cupro depravatum admixta spiritus salis armoniaci volatilis portione aequali coerulescit; plumbo contaminatum, sapore praeditum est dulciori & cum liquore vini probatorio Habnemanni fuscum sive bruneum evadit; acido vitriolico adulteratum optime ex terrae ponderosae salitae solutione

tione aquosa instillata cognoscitur; acetum enim purum limpidum manet, adulteratum vero terram praecipitat, nec non solutio terrae calcareae v. c. cretae in spiritu nitri vel acetum saturni, turbidum reddit acetum vitriolatum & albo colore praecipitat; acido salis inquinatum instillata solutione argenti in spiritu nitri statim sedimentum deponit album; acido tartari vitiatum cum sale alcalino vegetabili saturatum tartarum praecipitat regeneratum. Paratur in regionibus vinetorum divitibus & ad nos in doliis advehitur plus minusve capacibus. In locis calidis vasisque non bene clausis facile vappam induit & corrumpitur, ad quam corruptelam praecavendam, acetum vini lagenis infunditur, quae aheno aqua repleto super igne collocato immittuntur &, simulac aqua per aliquot momenta ebulliverit, rursus eximuntur, optime clauduntur & loco temperato servantur.

Cineres clavellati calcinati, alcali lignorum, kali impurum, sal alcali vulgare, calcinirte Pottaſche, Weidaſche.

□ ⊙

Sal alcali vegetabile fixum impurum ex incineratis lignis vel plantis elixatum, in aheneis ferreis vel cupreis ad siccitatem decoctum, ac in fornacibus peculiaribus calcinatum. Praesto est in massis magnis, levibus, foraminosis, angulosis, fragilibus, friabilibus, coloris grisei, ex griseo coerulescentis, fordide albicantis cum maculis caeruleis viridescentibus, saporis salini urentis, urinosi cum amaritie, qualitatibusque aliis salium alcalium conspicuis. Minime purum est alcali, sed partibus heterogeneis inquinatum, subinde carbonibus, cine-

neribus, terra commixtum, communiter sale medio cum tartaro vitriolato conveniente contaminatum, interdum sale communi, calce & arena adulteratum. Facillime cineres clavellati humidum aëris attrahunt & deliquescunt. Rejiciantur cineres russici in massis grandibus, duris, nigrescentis coloris & difficile humidum ex aëre attrahentibus. Eligantur maximam partem in aqua frigidae aequali parte solubiles, ab arena & sali communi immunes, coloris grisei vel ex griseo caerulescentis, saporis ingrati, urentis. Adulteratio cum partibus terrestribus per colationem terram in filtro relinquentem & cum sale communi per decrepitationem in ignitione super ferro candente detegitur; depravatio cum arena ex sedimento gelatinoso quod solutio in aqua fervida facta & filtrata addito acido vitrioli deponit, & ex sedimento albo cognoscitur quod acetum praecipitat. Parantur crebro in Germania, ad nos praecipue ex Hassia adferuntur.

Succus citri, succus limonum, *Citronensaft*, Limonensaft.

□ ⊙

Succus ex fructibus maturis citri medicae & varietatis citri limoniae, corticibus, seminibus sublatis, expressus & defecatus, coloris seri lactis, saporis grati acidi, odoris peculiaris. Acidum est impurum, acido aceti, partibus mucilaginosis & pauxillo alcali vegetabilis mixtum; cum alcali vegetabili puro saturatus succus citri terram praecipitat calcaream, in majori quantitate succi citri affusi iterum solubilem, qua potentia ab omni-

omnibus aliis acidis diſtinguendus. Aceto adulteratus, ſaturatione cum ſale alcali vegetabili in ſal neutrum mutatus, ex inſtillatione aliquot guttularum odorem ſpargit acetarium; item ſal neutrum ſuper prunis detonans, adulterationem ſucci cum acido nitri denotat. Si ſucco citri inſtillata ſolutio argenti in oleo vitrioli coctione facta, lunam deponit cornuam, acido ſalis ſuccus eſt depravatus, & ſi inſtillatio ſolutionis aquoſae plumbi cornui, vitriolum praecipitat plumbi, depravatio cum acido vitrioli proditur. Quodſi in ſaturatione ſucci citri cum ſale alcalino vegetabili praecipitatur cremor tartari, inquinatus eſt ſuccus acido tartari. Probi & fortis ſucci citri uncia ſemis valet grana ſedecim ſalis alcali vegetabilis ficciſſimi perfecte ſaturare; major ſucci quantitas ad ſaturationem neceſſaria, ſuccum debilem vel nimis aquoſum vel vapidum denotat. Exprimitur ſuccus ſubinde in officinis ipſis, plerumque vero ex locis quae citris abundant, v. c. ex Sicilia & ex India transmittitur. Corruptelae valde obnoxius eſt, quam ad praecavendam, ſuccus par chartam bibulam filtratus, in vaſis vitreis longi & anguſti colli probe repletis & arcte clauſis, in cella ſervetur, adhaereſcens vero per moram ſuberi cuticula ſedulo & caute ſeparetur, ac omnis agitatio, ne ſedimentum aſcendat, ſollicite evitetur. Vid. fructus citri.

Cryſtalli tartari, cremor tartari, tartarus depuratus, Weinſteinrahm, Weinſteincryſtallen, gereinigter Weinſtein.

□ ⊙

Tartarus vini ſolutione in aqua, colatione & paſſim terrae cujusdam argillaceae & calcareae, ſeu cine-

rum & vitelli ovorum depuratus, in cryſtallos redactus parvos irregulares, impellucidos, ſolidos, albos, & communiter in glebas aggregatos, ſubinde in ſuperficie nonnihil pulverulentos. Saporis acidi vinoſi. Cryſtalli tartari qualitatis quidem acidae, proprie vel per ſe autem ſal medium, in quo acidum tartari exſuperat, continent enim ſexaginta & ſeptem partes acidi dicti & triginta & tres ſalis alcali vegetabilis. Subinde etiam, inprimis ex Gallia allati terra calcarea contaminati ſunt, quae in ſaturatione cum alcali & in praeparatione tartari ſolubilis praecipitatur. Cryſtalli minores in corticis forma cohaerentes olim praecipue *cremor tartari* vocati ſunt, hodie cryſtalli majores & minores, ſimulac in pulverem redacti ſunt ſubtilem, ſic appellantur. Cryſtalli vel cremor tartari ſuccos plantarum caeruleos reddunt quidem rubros, adhuc autem cum acidis effervescunt. Ferro candenti impoſiti, odorem ſpargunt pungentem empyreumaticum, remanente tandem ſale alcali; in aqua difficile ſolubiles ita ut in uncia aquae deſtillatae frigidae ſolummodo grana tria & in aqua fervida grana ſeptem poſt refrigerationem mox praecipitantia ſolvantur. Adulteratio cum ſalibus vitriolicis v. c. alumine, ſedimento albo proditur per inſtillationem aceti ſaturnini in ſolutionem cryſtallorum tartari; cum nitro contaminati ſupra prunis detonant; cupro inquinati ex ſaturatione cum ſpiritu ſalis armoniaci volatilis caeruleſcunt & ferrum politum eorum ſolutioni immiſſum, colore cupreo imbuunt. Sequenti methodo pharmacopola ipſe cryſtallos ſive cremorem tartari elaborare poteſt: Rec. tartari albi

crudi

crudi per crebram abluitionem aqua frigida fordibus mundati quantum vis, in pulverem redigatur subtilissimum & coquatur in vase figulino terreo vitreato & tecto cum vicecupla ad minimum aquae communis quantitate, donec tartarus solutus sit ac cremor in superficie appareat, tunc liquor adhuc fervens per pannum laneum in aliud vas terreum colatur & ad cuticulam evaporetur, tandem in loco frigido ponatur, ubi crystalli vasis lateribus & fundo inhaerebunt, qui, effusa aqua, colligendi & debite exsiccandi. Quum a pharmacopoliis ipsis elaborati crystalli communiter minus albi evadunt, ex Gallia advehuntur, ubi ope terrae argillaceae albae calcareae depurantur, & ex Italia, praecipue Venetiis, ubi adjuvante cinere lignorum & albumine ovorum purificantur; ex Gallia advecti italicis praeferuntur & acidi tartari divitiores creduntur.

Saccharum canariense, Canarienzucker.

□ ⊙

Saccharum officinarum L. Cl. III. ord. 2. Sal essentiale dulce crystallisabile ex succo culmorum expresso, coctione & varia depuratione condensato elicitum. Prostat in panibus conicis charta crassiori albicante sive caerulea funiculisque obligatis, coloris albi, saporis dulcissimi, durum ast friabile, in fragmentis particulis micantibus sive crystallis dives, aqua, in primis calida, plenarie solubile, difficilius in spiritu vini, flamma ardens caerulea, odore peculiari grato, intumescens, spumans, carbonemque relinquens, olea aetherea si cum

lis teritur, in aqua reddens solubilia; ope spiritus nitri affusi acidum purum sacchari, vel, si mavis, acetosellae largiens. Eligatur saccharum durum, compactum, sonorum, aliquo modo in frustis parvis subpellucidum, album, penitus & limpide in aqua solubile. Rejiciatur cujus solutio aquosa a sale alcalino turbatur, vel ex affusa mercurii sublimati corrosivi solutione aquosa turbida & colorata evadit, & quod cum sale armoniaco tritum spargit odorem volatilem. Gramen perenne in Africa & Asia sponte, hodie etiam in pluribus Americae insulis cultura crescens.

Saccharum candum, Saccharum canti, Candiszucker, Zuckerkand.

□ ⊙

Saccharum circa fila in crystallos coactum grandiores, communiter octaëdros, basi obtusa, semipellucidos, nitidos, coloris albi, vel flavi. Rejiciatur coloris brunei & in aëre humescens vel farinescens.

Saccharum lactis, Sal lactis, Milchzucker, Milchsalz.

□

Sal essentiale lactis animalis ex sero lactis dulci evaporatione & crystallisatione paratum, crystallos formans parvos, prisma parallelipidecum cum extremo terminali recte angulato parallelogrammatico referentes, coloris lactescentis, semipellucidos, saporis subdulcis. Adportatur in frustis plus minusve magnis, planis, corticalibus, infra glabris, supra dictis crystallis obsessis. Saccharum lactis purissimum in octo aquae partibus omni-

no

no ſolubile, minime vero in alcohole vini, & ab alcalinis minime ex ſolutione aquoſa praecipitabile, colorem ſucci violarum & tincturae laccae caeruleae non varians, in vaſe terreo ſub igne leni liqueſcens, odore ſacchari uſti intumeſcens & maſſam largiens tenacem, bruneam, in aëre primo indureſcentem, poſtea iterum humeſcentem, ſaporis dulcioris cum amaritie, tandem carbonem relinquens ex nigro bruneum ſpongioſum. Solutionem nec mercurii ſublimati corroſivi aquoſam, nec ſolutiones argenti, plumbi & mercurii turbat, cum ſale alcalino fixo aut calce viva tritum nullum ſpargens odorem urinoſum, & in ſpiritu nitri penitus ſolvitur. Rejiciatur ſaccharum lactis coloris flaveſcentis, ſaporis aciduli, odoris pinguis, ſuccum violarum & tincturam laccae coeruleae rubro imbuens colore & cum alcalinis effervеſcens, ex ſero lactis acido paratum, & in panibus conicis parvis vendibile; non cryſtalliſatum ſed farinaceum & mora temporis mucorem induens, ranceſcensque parte lactis caſeoſa corruptum. Praeterea rejiciendum eſt ſaccharum lactis, partibus oleoſis & ſale communi vitiatum, colore flavo, ſapore ſalſo & praecipitandi argentum, plumbum ac mercurium ex ſpiritu nitri facultate dignoſcendum. Adulteratio cum ſaccharo communi ſolubilitate faciliori & dulcedine majori, praecipue vero ſapore dulciſſimo aquae cum partibus anaticis ſalis pulveriſati bene agitatae proditur; cum alumine vitiatum in aqua ſolutum, tincturam laccae caeruleam reddit rubram & plumbum ex acido nitri praecipitat. Advehitur praeprimis ex Helvetia & Lotharingia. A pharmacopola ipſo

sequenti parari potest modo: Rec. lactis recens mulcti quantum vis, coque & adde albuminum ovorum in spumam conquassatorum sufficientem quantitatem, ut lac coaguletur sive caseus a sero separetur, serum tunc colletur & in vase figulino vitreato evaporetur leni calore ad quartae partis remanentiam, & in loco frigido ponatur; crystalli depositi auferantur & liquidum adhuc supernatans iterum ad cuticulam evaporatum, crystallisationi exponatur, qua facta liquidum residuum effundatur & omnes crystalli bis vel ter in aqua communi solvantur, totiesque in crystallos redigantur ut puriores & albidiores obtineantur.

Sal acetosellae, Sauerkleesalz.

□

Oxalis acetosella L. Cl. X. ord. 5. Sal essentiale neutrum, acido peculiari exsuperante, ex succo herbae expresso & depurato paratum, crystallos formans parvos, oblongos, quadrilateros, in aëre invariabiles, coloris albi, saporis grate acidi, in aqua frigida & alcohole vini parum solubiles. In igne aperto cum quadam crepitatione & vapore pungente liquescit, intumescit, subnigrescit, flamma coerulea ardet, alcali fixum vegetabile relinquens. In aqua solutum sal acetosellae destillata & colatum, in aqua communi cui instillatur, turbationem excitat, mercurium & argentum ex spiritu nitri tanquam salia praecipitatat difficile solubilia, & in igne vehementer ut aurum fulminans crepitantia; plumbum ex aceto, calcem ex aqua sedimento albo praecipitat; solutionem vero mercurii sublimati corrosivi in aqua destil-

ſtillata minime turbat. Spurium ex tartaro vitriolato, ſive ſale mirabili plus acidi vitriolici continente, cryſtallis minoribus, ſapore acido ſtyptico, ſolubilitate faciliori cognoſcitur & praecipitato albo in ſpiritu nitri ſolubili, ex aceto ſaturni ſolutioni unius drachmae ſalis ſuſpecti in una & dimidia uncia aquae deſtillatae affuſo. Cum cremore tartari adulteratum proditur odore tartari empyreumatico ſuper igne exhalante. Paratur optime in cryſtallis elegantioribus, candiſſimis & majoribus in Helvetia & ibi parati drachma una in ſex drachmis aquae fervidae ſolvitur, etiam in Suecia, Thuringia & Hercynia elaboratur, hic parati ſalis autem drachma una ad ſolutionem unciam aquae unam & dimidiam requirit. Ipſe ſi elaborare vult hoc ſal pharmacopola: Rec. herbae acetoſellae recentis quantum placet, contundatur in mortario lapideo, & exprimatur ſuccus, qui pauxillo aquae dilutus reponatur per aliquot dies, donec partes groſſiores ſubſederint & liquor ſupernatans clarus evaſerit, tunc evaporetur ad tertiae partis remanentiam & per manicam Hippocratis coletur; nunc ad cuticulam evaporetur & loco frigido in vaſe vitreo ad cryſtalliſandum ponatur, poſt aliquot tempus liquor a cryſtallis ortis decantetur, denuo ad cuticulam evaporetur & cryſtalliſationi exponatur, & ſic pergatur donec nulli amplius cryſtalli appareant. Cryſtalli obtenti in aqua deſtillata ſolvantur, ſolutio per filtrum depuretur & cryſtalliſationi puriori exponatur. Decem librae foliorum ſucci libras duas, ſalis unciam circiter unam largiri dicuntur. Vid. herba acetoſellae.

Tartarus crudus, tartarus vini, Weinſtein, roher Weinſtein.

□ ⊙

Sal eſſentiale vini neutrum, cui vero acidum peculiare ultra ſaturationem ineſt, ſenſim e vino ſecretum & dolia incruſtans, partibus oleoſis & aliis heterogeneis mixtum, ſaporis aciduli, in aqua difficile ſolubile & ex ſolutione terram inſipidam deponens; ita ut uncia una aquae fervidae circa drachmam ſemiſſem & aquae frigidae ſolummodo grana quatuor ſolvat. Super prunis fumum dat multum, odore empyreumatico ingrato. E vinis rubris ſecernitur *tartarus ruber* & ex albis ſive flavis *tartarus albus* ſive ſubgriſeus, rubro praeferendus. Adportatur e locis vinorum divitibus.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Medicamina & pharmaceutica animalia.

I. Insecta & vermes.

Cantharides, Spanische Fliegen.

□ ⊙

Meloe vesicatorius L. Insecta coleoptera, muscae majoris magnitudine, corpore aureo viridi, nitente, pilis albicantibus instructo, oblongo, cum quatuor alis, quarum superiores (elytra) duriores, externe pulcherrimo viridi aureo colore, duabus striis longitudinalibus millenisque punctis notatae, interne vero fuscae, investiunt duos inferiores tenerrimas & fuscas; ac capite cordis figuram mentiente, duro, membrana punctulis notata aurea viridi tecto, & binis antennis, nodosis, nigricantibus, maculis albis passim distinctis instructo. Odor cantharidum vivarum peculiaris, teter, picis liquidae similis, & virosus, exsiccatarum debilior, sapor initio piceus, postea vero acris & corrosivus. Eligantur minores, octo vel novem lineas minime longiores, integrae & fortiter olentes. Post longam asservationem

in pulverem fatiſcunt minus efficacem. Incolae ſunt calidiorum regionum, olim ex Hiſpania nunc praeſertim ex Sicilia advectae; ſaepe etiam in Germania, menſe Julio & Junio, die oriente ex arboribus inprimis liguſtro, fraxino, caprifolio, populo albo & ſambuco colligi poſſunt. Aceti vaporibus ſuffocantur vel in fornace piſtorio calido ſiccantur.

Formicae, Ameiſen.

□ ⊙

Formica rufa L. Inſecta hymenoptera, parva, thorace oblongo, compreſſo, glabro, ferruginei coloris, capite, abdomine & aliis partibus nigris; odorem, inprimis ſi teruntur, ſpargunt gravem & acidum. Cum chryſalidibus, communiter ova appellatis, ex acervis colligendae, quos in ſylvis & paſcuis aridis ex granis, foliis & terra accumulant, & in vitro probe clauſo ad uſum ſervandae.

Hirudines vivae, lebendige Blutigel.

□ ⊙

Hirudo medicinalis L. Vermes claſſi inteſtinorum adnumerati, corpore molli viſcido, oblongo, depreſſo, duos vel tres pollices longo, calamum ſcriptorium & ultra craſſo, annulis compoſito quibus contrahitur, extenditur & rotundatur, in parte antica extenuato, in poſtica in orbiculum dilatato, coloris nigricantis, ſupra ſex lineis, flavis intermediis nigro-arcuatis, infra cinereo flaveſcentibus maculis, diſtincti. Cave ne cum

Trans. Linn. III. 276

cum ſanguiſugis commutentur, quarum corpus totum colore fuſco & ſolummodo margine laterali flavo notatum eſt. Hirudines colligendae ſunt ex aquis limpidis, arenoſis, vere vel aeſtate, ſole ardente, & in vitro cuſtodiendae aquae purae ſemipleno, additis furfuribus tritici & veſica bubula, ſubtiliter aſt denſe perforata, clauſo, ſic per annos ſervandae, ſi aqua modo ſaepe renovetur. Quolibet menſe ſeſe excoriant & veſtem viſcidam in aqua deponunt natantem, tunc ſuctionem vero reſpuunt.

Limaces vivi, Schnecken, Waldſchnecken.

□

Limax ater & rufus L. Animalia reptilia ad vermes molluſca pertinentia, corpore nudo, oblongo, colore atro vel rufo praedito, ſupra clypeo carnoſo, ſubtus diſco longitudinali plano corpus promovente, & foramine laterali dextro genitales & excrementa emittente, & ſupra os inſtructo quatuor tentaculis. Habitat in ſylvis, ad vias & in locis humidis obſcuris, verſus veſperam reptans.

Millepedes, millepedae, aſelli, Kellerwürmer, Kellereſel, Kellerſchaben, Kelleroſſel.

□

Oniſcus aſellus L. Inſecta aptera, corpore in parte ſupina arcuato, coloris plumbei vel pallide cinerei, infra albicantis, latere utrique ſerrato, cauda acuminata bifida, antennis duobus ſetaceis, pedibus quatuordecim. Colligendi ſunt in locis humidis, in cellis, murium

rium fiſſuris & ſub lapidibus; qui ſub trabibus vel aliis lignis putridis morantur, rejiciendi. Ne cum armadillo L. ſub humidis lapidibus habitante commutes, qui cauda integra & pluribus pedibus dignoſcitur. Recenter collecti millepedes, debita abluitione ab adhaerentibus ſordidis purgati, in vino albo ſuffocantur, & vino decantato in vaſe arcte clauſo ſervantur.

Vermis majalis, Maywurm.

⊙

Meloe proſcarabaeus L. Inſecta coleoptera pollicem longa, digitum craſſa, mollia, elytris mollibus, flexilibus, fine alis, thorace ſubrotundo, capite inflexo gibbo, ſubtiliſſime in his partibus punctata, antennis moniliformibus, articulo ultimo ovato, coloris chalybei violacei, annulis ex caeruleo, viridi & flavo variegatis, capite, pedibus & abdomine ſubrubeſcentibus. Manu attacti vermes majales ex thorace, ubi pedes articulos formant, haud parvam copiam liquoris viſcidi & flavi emittunt non ingrate olentis. Solitarie repere ſolent in campis vervactis & pratis apricis; colligendi aëre ſicco & calido menſium Aprilis & Maji, ſumma adhibita cura ne liquorem ſuum ſalutiferum deperdant, ergo minime digitis ſed mediante forcipe lignea vel foliolo leniter excipiendi & ſimul forſicula cito caput reſecandum abjiciendumque & corpus vitro parva quantitate mellis repleto immittendum.

II. Ani-

Trans. Linn. Soc. VIII. 81. 142. 2003

II. Animalium partes & ſucci.

Caſtoreum ruſſicum, caſtoreum moſcoviticum, Ruſſiſches Bibergeil.

□ ⊙

Caſtor fiber L. Animal claſſi glirium adnumeratum. Humor recens liquidus, oleoſus, in folliculis propriis juxta anum ſecretus; qui folliculi cum ſuo humore abſciſſi, extus lavati fumo indurantur, unde & humor exſiccatur. Caſtoreum optimum in folliculis ſiccis, ponderoſis, gibbis, ſolidis, ſubrotundis, ſubſtantia repletis ſolida, nonnihil tenace, fragili, obſcure fuſca, in cellulis membranoſis incluſa, odoris peculiaris, ſubnarcotici ingrati, ſaporis amaricantis ſubacris & nauſeoſi. Rejiciatur caſtoreum Canadenſe & Anglicum, folliculis minoribus, oblongis, corrugatis, tenuibus, odore & ſapore admodum debiliori dignoſcendum, ſic & omne inveteratum, nigerrimum, odore ac ſapore ferme deſtitutum. Caveas ab arteſacto fruſtuloſo, reſinoſo aut pinguedinoſo & membranulis, ſive cellulis membranoſis deſtituto. Optimum ex Ruſſia, Boruſſia & Polonia per Dantiſcum adportatur.

Cornu cervi, Hirſchhorn.

□ ⊙

Cervus elaphus L. Animal ad claſſem pecorum pertinens. Cornua ramoſa, extus nigricantia & ſcabra, intus alba.

Sevum

Sevum cervi, Hirſchtalg.

□ ⊙

Cervus elaphus L. Pinguedo eliquata, ſit recens, alba, ſolida. Strenue rejiciatur rancida.

Sperma ceti, Wallrath.

□

Phyſeter macrocephalus L. Ad claſſem cete adnumeratus. Liquor unctuoſus in canalibus capitis peculiaribus, ob ſitum ſinubus durae meningis ſimilibus, reperiundus, & in maſſam ſebaceam condenſatus. Qui liquor induratus & ab heterogeneis purgatus in diſcis adportatus & male ſperma ceti dictus, ſubſtantia eſt alba, ſebacea, ſolida, fragilis, nitida, lubrica, tenera, mollis, quaſi ex parvis furfuraceis ſquamulis aggregata, odoris debilis piſcini, ſed minus ingrati, ſaporis oleoſi. Eligatur albiſſimum, tenue, ſemipellucidum, lubricum, in oleo facillime liqueſcens, odoris debilioris, ſaporis ſubdulcis non ingrati; rejiciatur vero flavum, rancidi ſaporis ac odoris & cera adulteratum, quod lixivio cauſtico ad ſaporis ſpeciem coctum, poſtea in aqua rurſus ſolutum, ceram deponit inſolubilem. In lagena clauſa conſervandum, ne rancidum evadat.

Ichthyocolla, colla piſcium, Hauſenblaſe, Fiſchleim.

□

Acipenſer ſturio, *acipenſer ſtellatus L.* ac plures ſpecies ad hoc genus piſcium chonderopterygiorum pertinentes. Gluten internum veſicae aëreae, convolutum

&

& ficcatum; praeſto eſt in ſpiris contortis albis, ſemipellucidis, inodoris, in aqua & vino adufto penitus ſolubilibus & gelatinam firmiter conglutinantem largientibus. Species vilior eſt gluten ex pinnis, inteſtinis, corio & cauda excoctum, in pelliculas deductum & poſtea in ſpiras vel alias figuras convolutum, colore flavo, & pelluciditate minore, a ſpecie meliori diſcernenda. Advehitur maximam partem ex Moſcovia.

Moſchus in veſicis, moſchus tunquinius, Bieſam, Muſk.

□ ⊙

Moſchus moſchiferus L. Animal claſſi pecorum adnumeratum. Subſtantia unctuoſa in folliculis excretoriis prope umbilicum collecta. Optima moſchi ſpecies in folliculis ſive veſicis tenuibus, rotundis, ovum columbinum magnis, extus obſeſſis pilis brevibus rufis, intus membranula tenera, fuſca veſtitis, valde repletis adfertur & ſubſtantia eſt ficca, obſcure rubri, rufi aut e ferrugineo nigrẽſcentis coloris, ſanguinem ficcatum aemulans, perpaucis fruſtulis nigris intermixta, & omnis heterogeneae ſive peregrinae admixtionis expers, ſaporis amaricantis, odoris fragrantiſſimi peculiaris. Genuinus & probus moſchus maſticatus & cultro ſuper charta deductus, nil arenoſi oſtendit, particulis micat reſinoſis & flaveſcit, laminae candenti impoſitus penitus, odore grato, evaporat, reſiduo tantummodo griſei cineris pauxillo, cum alcali fixo tritus odorem ſpargit urinoſum; aqua plus ſolubilis quam in ſpiritu vini. Exulet ſtrenue

ex

ex officinis *moschus ex vesicis* depravationis semper suspectus. Rejiciatur moschus moscoviticus sive sibiricus pilis vesicae albis odoreque debiliori cognoscendus, rejiciatur & moschus spurius in vesicis interna membranula fusca destitutis, sanguine sicco vel aliis partibus animalibus vitiatus, odore ingrato & empyreumatico in lamina candente residuoque carbone pauco detegendus; plumbeis particulis mixtus in cochleari super carbonibus candentibus plumbum relinquit. Ex China adfertur. In vitris epistomio vitreo & vesica clausis sedulo servandus.

Axungia porci, axungia porcina, Schweinschmalz, Schmeer.

□ ⊙

Sus scrofa L. ad classem bellvarum pertinens. Pinguedo alba, mollis, inter viscera invenienda. Sit recens & minime rancida.

Fel tauri, Ochsengalle, Rindergalle.

□ ⊙

Bos taurus domesticus L. ex classi pecorum. Bilis cystica, consistentiae viscosae, coloris ex flavo viridis, odoris ingrati, saporis intense amari; facile & penitus solvitur in aqua, solutionem largiens bruneam & limpidam, nec cum acidis nec cum alcalinis effervescentem, ab acidis, inprimis mineralibus, congelatur & sedimentum deponit gelatinosum; etiam in alcohole vini perfecte solvi potest, ex qua solutione substantia gummiresinae similis fundum petit; solutionem perfectam in oleis

negat

negat & cum aloe mixta, miſcelam format ſaporis ingrate dulcis. Recens facillime in putredinem abit, ergo ad conſervationem ſtatim inſpiſſari & in vitro clauſo ſervari debet. Deficiente tauri bile, vaccarum bilis adhiberi poteſt.

III. Animalium producta.

Ambra griſea, ambra vera, grauer Amber, Ambra.

□

Subſtantia ſolida, opaca, friabilis cum quadam tenacitate, veroſimile in inteſtinis phyſeteris macrocephali L. producta, excrementum eſt hujus animalis praeternaturaliter induratum. Proſtat in maſſis plus minusve parvis, aſperis, ad tactum pinguibus, ſpongioſis, extus coloris griſei, brunei, flavis & nigris punctis variegati; intus ambra apparet ſubtiliter granuloſa, interdum nonnihil foliata & flavis, rubellis vel nigricantibus lineis vel punctis diſtincta, ſaepe in fruſtulis majoribus reperiuntur roſtra ſepiae octopediae L.; trita vel calefacta gratiſſimum ſpargit odorem, ſaporem autem habet fere nullum. Aquae ſupernatat, in manu calida inſtar cerae liquefcit, aquae bullientis calore vero ceu oleum fluit, flamma facillime accenditur & deflagrat ſine cinere reſiduo. In aqua minime ſolvitur, in alcohole vini aliquo quidem modo ſed non perfecte, penitus autem in aethere vitrioli, ex qua ſolutione, per affuſum alcohol vini, tractu temporis ceram albam aemulans maſſa inodora ſeparatur. Eligatur leviſſima, etiam

in pulvere redacta aquae innatans, ſuaviſſime odorata, laminae candenti impoſita in totum avolans, & acui candenti immiſſae nonnihil bituminoſi impertiens. Invenitur praeſertim mari indico prope inſulas Moluccas innatans, interdum ad littora maris & adhuc in inteſtinis phyſeteris macrocephali.

Butyrum inſulſum, ungeſalzene Butter.

□ ⊙

Pars lactis pinguis, oleoſa, inflammabilis, in vaſis peculiaribus tundendo a partibus caſeoſis & aquoſis ſeparata & aqua abluta, coloris flaveſcentis, nitidi, odoris nullius, ſaporis blandi & grati, calore leniſſimo fluens & omnibus qualitatibus oleorum unguinoſorum blandorum conſpicua. Exulet ex officinis butyrum non penitus caſeoſarum vel aquoſarum partium expers, omne ſalitum & omne rancidum ſive ingrati odoris & amaricantis ſaporis.

Cera flava, gelbes Wachs.

□ ⊙

Apis mellifica L. ex genere inſectorum hymenopterorum. Productum ſebaceum, e florum polline in corpore apum elaboratum & intra ſex annulos corporis poſtici in tenerrimis laminis exſudans, ad favorum ſtructuram adhibitum. Paratur ex favis, expreſſo prius omni melle, in aqua bulliente liquatis. Cera proſtat in panes orbiculatos formata, recens eſt tenax, attamen fragilis, coloris flavi, odoris quodammodo mellei, ſicca, nec pinguis nec unguinoſa, in calore liqueſcens, in aqua,

aqua, in alcohole vini, in aethere insolubilis: solvitur vero oleis unguinosis & salibus alcalinis causticis, & ope ellychnii ardet. Eligatur in discis laete flavis, fragilis, odoris grati, saporis nullius, facile & tota deflagrans & masticata dentibus non adhaerens. Resina adulterata, solutione in alcohole vini partes resinosas extrahente & sapore dignoscitur; farina cicerum vel particulis terreis sive lapideis inquinatio, friabilitate, colore debiliori, sapore peregrino & liquatione ac colatione per manicam Hippocratis particulas peregrinas retinente proditur; sebo commixta, minori fragilitate, majori vero mollitie, odoreque malo cognoscitur.

Lapides cancrorum, oculi cancrorum, **Krebssteine**, Krebsaugen.

□ ⊙

Cancer astacus L. ex genere insectorum apterorum. Concrementa calcarea, intra ventriculum eo tempore reperiunda, quo cancer testam veterem cum novo mutat; figurae orbiculatae, uno latere convexae, altero planae, margine vero elevato, glabra, compagis solidae, lamellatae, coloris albi, interdum paululum rubentis, saporis terrestris, odoris nullius, & linguae ac labiis non adhaerent. Genuini cancrorum lapides in aqua non solvuntur, in acido nitri vero soluti relinquunt cuticulam gelatinosam lapidum figurae praecipuae. Artefacti ex terra calcarea vel argillacea & tragacantha, in aqua solubiles sunt, ponderosiores, & linguae adhaerent. Omnes factitii, compagis lamellosae, & residui gelatinosi

lapidum proborum formae similis in solutione nitrosa defectu, dignoscendi. Eligendi genuini, majores, integri, leves & albi. Plurimi cancrorum lapides ex Russia, Moldavia & Polonia advehuntur, pauci apud nos colliguntur.

Mel crudum, 2) *mel virgineum*, Honig, 2) Jungfernhonig.

□ ⊙

Apis mellifica L. Succus indolis saccharinae & Fermentabilis e nectariis florum per apes collectus. Pro usu interno solummodo asservandum & adhibendum *mel virgineum*, Jungfernhonig, nulla adhibita pressione vel coctione e favis diffractis sponte vel leni calore defluum. Liquidum ast spissae consistentiae & granulosae, coloris albicantis, vel dilute flavi, saporis grate dulcis, odoris suavis, facillime in aqua & in spiritu vini solubile. Omne mel ex favis expressum vel excoctum, partibus cereis adhuc contaminatum, communiter *mel crudum* appellatum, spissitudine majori, colore flavo saturatiore vel brunco, sapore ac odore minus grato, saepe empyreumatico & depuratione indigens solummodo ad usus externos permittitur. Quo albidius, granulosius & suavius est mel, eo melius & ideo eligendum. Rejiciatur omne mel impurum, farina, communiter fabarum, vel arena adulteratum, quae fraus coctione in aqua detegitur, farina enim & arena in solutione refrigerata fundum petit.

Ova gallinacea, Hühnereyer.

□ ⊙

Galli gallinae L. ova nota. Vtimur in pharmacopoliis 1) praecipue *vitellis ovi* Eyergelb, Eydotter. Humor in medio ovorum haerens, ex oleo unguinoſo, lympha & aqua conſtitens, flavus, impellucidus, conſiſtentiae ſpiſſioris, cum aqua frigida emulſionem generans, in aqua fervida & in ſpiritu vini coagulans. 2) *Albumine ovorum*, Eyerweiß. Humor lymphaticus pellucidus, albus, in aqua frigida penitus ſolubilis, in calida vero & in acidis ac ſpiritu vini coagulatur. 3) *Teſtis ovorum, alcali de Rocou*, Eyerſchaalen. Ovorum putamina ex terra calcarea miti & principio gelatinoſo conglutinata.

IV. Animalium habitacula.

Conchae, oſtracodermata, teſtae oſtrearum, Auſter-ſchaalen, Muſchelſchaalen.

□ ⊙

Oſtrea edulis L. Hujus animalis ex claſſe vermium & genere teſtaceorum domicilium calcareum bivalve, cum teſtis inaequivalvibus, ſemiorbiculatis, extus imbricatis, undulatis, coloris cinerei nigreſcentis, intus nitidis, glabris, coloris albi; teſta ſuperior plana integerrima, interior ventricoſa. Harum teſtarum loco & aliorum vermium teſtaceorum habitaculis uti poſſimus e. g. myae pictorum, Fiußmuſchel, Mahlermuſchel, myae margaritiferae Perlmuttermuſchel, mytili edulis, Mießmuſcheln.

Gallae, gallae turcicae, Gallöpfel, Gallus.

□ ⊙

Cynips quercus folii L. ex claſſe inſectorum & genere hymenopterorum. Domicilia horum inſectorum & aliorum ejusdem generis, a punctura ipſorum quercus in foliis vel petiolis, praecipue quercus cerris, progenita. Gallae ſunt ſubrotundae, durae, quodammodo fungoſae, extus vel glabrae vel verrucoſae, brevi pedunculo inſtructae, coloris albicantis, flaveſcentis, rubeſcentis, cinerei, nigricantis ac coeruleſcentis, & ſaepe foramine perforatae parvo, ſaporis acerbi. Coeruleſcentes eligantur vel ex glauco nigricantes, tuberculoſae, ponderoſae, intus nucleo fuſco inſtructae ac nullo foraminulo perforatae: rejiciantur leves, flavae, & intus eroſae. Optimae ex Oriente afferuntur. Icon vid. *Zorn* tab. 518.

Spongia marina, Badeſchwamm, Waſchſchwamm, Meerſchwamm.

□ ⊙

Spongia officinalis L. e claſſe vermium & genere coralliorum. Habitacula horum vermium proſtant in fruſtis plus minusve magnis, denſe foraminulatis, difformibus, communiter latere uno convexiori altero planiori, ſubramoſis, flexilibus, tenacibus, tomentoſis, bibulis, coloris albicantis vel flavi. Eligantur ſpongiae albidiores, leviſſimae & foraminibus exiguis, & ante uſum rejiciantur lapides ſaepiſſime in ipſis reperiundi. Ad nos e mari mediterraneo & rubro adportantur.

V.

V. Oleosa, salina & spirituosa ex partibus animalium parata.

Oleum cornu cervi fœtidum, stinkendes Hirschhornöl.

⊙

Liquidum spissius in destillatione sicca cornu cervi vel cornuum aliorum vel ossium ab omni pinguedine liberatorum, igne vehementiori productum inflammabile, in alcohole vini solubile, ponderosum, coloris ex rufo nigrescentis, saporis acris, amaricantis, odoris ingrati empyreumatici cum odore volatili alcalino mixti, tincturam laccae caeruleae nec viridem nec rubrum reddens & nec cum alcalinis nec cum acidis effervescens. Sequenti parari potest methodo: Rec. cornuum cervi, vel ossium excoctorum frustulatim concisorum q. v., immittantur retortae ferreae tubulatae, obturaculo ferreo instructae, ita ut quarta ejus pars minime repleatur, applicato excipulo amplo terreo, & omnibus probe lutatis, subministretur ignis apertus, sensim augendus, donec excipulum calefiat, qui calor lenis excipuli servandus. Versus finem destillationis, si excipulum frigescit, ignis iterum usque ad fundi retortae ignitionem augendus, si igne hoc fortiori excipulum non amplius calidum evadit, destillatio finienda est, & vasis refrigeratis lutum solvatur & liquor in excipulo contentus, ope infundibuli separatorii, vel chartae bibulae separetur, ut oleum empyreumaticum seorsim asservari queat.

Sal volatile cornu cervi, sal cornu cervi, flüchtiges Hirschhornsalz, Hirschhornsalz.

□ ⊙

Sal volatile in destillatione sicca cornu cervi vel ossium animalium, una cum spiritu cornu cervi & oleo empyreumatico obtentum & iterata destillatione spiritus cum sale ad latera excipuli adhaeso, & cum cineribus lignorum vel calce in pulverem dilapsa quodammodo purificatum. Sal alcali volatile est, sit non purum sed particulis olei empyreumatici impraegnatum, siccum, crystallinum, coloris albicantis, cum acidis effervescens, calore avolans, in aqua & alcohole vini solubile, cuprum colore caeruleo afficiens, cum oleis expressis miscelam liquidam saponaceam largiens, cum nitro detonans. Tractu temporis bruneum evadit & male olens, tunc sublimatione cum sale alcali fixo rursus depurari potest. Eligatur siccum & coloris albicantis, sed non nivei, odoris refocillantis non ingrati, rejiciatur profunde griseum, humidum & male olens. Subinde adulteratur festuculis vitreis, solutione facile detegendis. Obtinetur hoc sal impurum subsecive in processu oleum cornu cervi foetidum parandi supra descripto, primo prodit phlegma, secundo & tertio sal dictum & spiritus, itemque oleum empyreumaticum subtilius, quarto oleum foetidum. Depuratur vel ut antea dictum reiterata destillatione cum spiritu vel sola sublimatione per se. Quum vero sal cornu cervi est sal alcali volatile cum olei animalis particulis mixtum, optime etiam parari potest sequenti methodo: Rec. Salis ammoniaci purissimi & pulverisati unc. quatuor, cinerum clavellat. depurat. siccissimorum & pul-

pulverisatorum unc. octo, olei cornu cervi foetidi drachmas duas, mixta immittantur retortae vitreae collo amplo, & applicato excipulo parvo omnibusque probe lutatis, subministretur balneo arenae ignis sensim augendus, donec nullum sal amplius in excipulum transeat.

Spiritus cornu cervi volatilis, liquor volatilis cornu cervi, Hirschhornsgeist.

□ ⊙

Sal volatile destillatione sicca ex cornu cervi vel ossibus elicitum, durante destillatione in primo prodeunte phlegmate cornu vel ossium solutum, & cum oleo empyreumatico impraegnatum. Liquidum non penitus pellucidum, coloris profunde flavi vel brunei, odoris fortis, volatilis, nonnihil empyreumatici, saporis acris, subamari. Rejiciatur spiritus qui evaporatione in cochleari argenteo massam gelatinosam relinquit, qui ab instillatione solutionis salis alcali fixi turbatur, & qui cum acidis minus fortiter effervescit. Saepissime cum calce adulteratur spiritus cornu cervi inprimis rectificatus, spiritus sic vitiatus, cum alcohole vini commixtus, pulverem deponit crystallinum, qui, cochleari immissus, super candelae flamma vel super prunis non avolat.

Phosphorus, Phosphorus anglicanus, sive Kunkelii, sive urinae, Phosphor, Englischer oder Kunkelischer Phosphor, Harnphosphor, Leuchtstein.

Substantia artefacta peculiaris, multis autem in qualitatibus sulphuri analoga, destillatione sicca ex con-

junctione acidi phosphori sive ossium & cum phlogisto pulverum carbonum exorta. Substantia tenax, sciffilis, semipellucida, in tenebris lucens, coloris ex albo flavescentis, fracturae radiosae & nitidae, vix friabilis & communiter in baculos minores sive virgulas formata. Phosphorus aëri expositus vapores exhalat albos, odoris fortis, quodammodo alliacei & in tenebris lucentes, tandem deliquescit in acidum suum, acidum phosphori per deliquium dictum & cum pulvere carbonum rursus in phosphorum mutandum. Aëri expositus, aqua inprimis adspersa, ope etiam frictionis fortis, praevio fine calore, inflammatur; calore 76 gradus Fahr. accedente aëre libero, flammam cum crepitatione dat albam ex flavo viridescentem & fere nullo modo, nisi immersione aquosa, extinguendam. Calore leni fluit; solvitur in aethere vitrioli, in oleis aethereis, inprimis in oleo caryophillorum & in expressis, quibus omnibus facultatem communicat in tenebris lucendi. In vitro bene clauso aqua destillata repleto, loco frigido asservandus, & sic servatus pelluciditatem amittit, flavescit, & albo pulverulento obducitur cortice, aqua continens acescit & agitata in tenebris lucentem emittit fumum. Olim ex Anglia adportatus est, hodie etiam in Germania optime paratur & vendibilis prostat. Sequenti parari potest methodo: libris duodecim aquae communis in aheno stanneo super leni igne calefacto & debita cautione cum libra una olei vitrioli mixtis, insperge sensim ossium ad albedinem calcinatorum & in pulverem redactorum libras tres, agita miscelam baculo vitreo, filtra per linteum

Erwb. Druck V. 2 90

teum & reſiduum in filtro aqua calida penitus edulcora. Omne hoc fluidum in aheno ſtanneo usque ad libras quatuor evaporatum, & iterum filtratum, ope alcali volatilis in aqua ſoluti perfecte praecipita; terraque praecipitata per filtrum ſeparata & edulcorata, liquorem acidum in patina porcellanea usque ad conſiſtentiam mellis evaporatum immitte crucibulo terreo, leni igne calefacto, & agita, ad praecavendum tranſceſſum, conſtanter baculo vitreo vel terreo, donec maſſa, igne ſenſim aucto, non amplius ſpumet ſed quiete fluat; tunc maſſam effunde in calefactam laminam ſtanno obductam, & ſic obtentam ſubſtantiam vitream, valde acidam, humorem avare ex aëre attrahentem & *acidum oſſium* ſive *acidum phoſphori* dictam, in vitro clauſo ſerva. Hujus acidi oſſium uncias duas & pulveris carbonum unciam unam optime miſce & immitte retortae cupreae vel terreae loricatae cum collo amplo, applica excipulum vitreum amplum & ita aqua repletum ut retortae collum pollicis diſtantia ab aqua remotum maneat; omnibus tandem probe lutatis, deſtilla ex furno reverberatorio, primo leni, ſenſim usque ad ignitionem retortae augendo igne, initio prodibunt vapores in tenebris lucentes & allium olentes, poſtea ejusmodi guttae partim ſub aqua in maſſam tenacem ex albo flaveſcentem coagulantes, partim aquae, colore ex rubro flaveſcente, cerae inſtar, ſupernatantes. Quae guttulae, ſi igne fortiſſimo conſervato tranſire ceſſant, ignis auferatur, vaſisque refrigeratis & demto apparatu, aqua a globulis phoſphoreis cerae ſimilibus, in excipuli fundo haerentibus decantetur,

tur, & globuli ope bullientis aquae in unam maſſam redacti, immittantur, ad figuram virgularum ſive baculorum minorum obtinendam, in modulos vitreos calami ſcriptorii formam referentes. Si phoſphorus tranſierit impurus & nigreſcens, eum immitte retortae vitreae minori, aſt collo capaci, aquae ſufficientem quantitatem affunde & excipulo aquae pleno applicato, deſtilla ex balneo arenae, & phoſphorus transibit depuratus.

Finis.

Verzeichniß der zur Leipziger Ostermesse 1792 in der Meyerschen Buchhandlung zu Lemgo neu herausgekommenen Schriften.

Arriani, Flavii, Nicomediensis, Opera, graece ad optimas editiones collata, studio Aug. Christ. Borheck, Vol. I. 8 maj.

(Barkhausen, C.) die natürliche Moral, in Briefen eines Vaters an seine Tochter. 8.

בראשית das erste Buch Mose, zum bequemen Gebrauch bey dem ersten Unterricht in der hebräischen Sprache besonders herausgegeben. 8.

von Cölln, L. F. H. biblisch-christliche Postille für den Bürger und Landmann. 4.

Cornelius Nepos, zum Gebrauch der ersten Anfänger mit kurzen grammatischen und historischen Anmerkungen, wie auch mit einem Wörterbuche versehen, von A. C. Meineke. 8.

— — das Wörterbuch apart. 8.

Cosmann, F. W. Versuch einer Erörterung der Frage: Kann der lebende Ehegatte aus der mit seinen Kindern fortgesetzten Gütergemeinschaft willkührlich austreten? 4

Diedericks, C. L. Entwurf der Rechtslehre von der westphälischen Eigenbehörigkeit, vorzüglich in der Grafschaft Ravensberg, nach Anleitung der Minden-Ravensbergischen Eigenthums-Ordnung vom 26ten Nov. 1741. 8.

Erich, J. S. Repertorium über die allgemeinern deutschen Journale und andere periodische Sammlungen, 2ter und letzter Band, gros 8.

Ewald, J. L. Predigten für Unterthanen und Eltern, gros 8.

Gherardini, Mich. Geschichte des Pellagra, aus dem Italiänischen übersetzt von Spohr. 8.

Häseler, J. F. Erklärung und Gebrauch des Kalenders, wobey zugleich ein Modell eines Kalenders auf das gemeine Jahr 1793, berechnet auf die Stadt Braunschweig, gros 4.

— — Auflösung einer chronologischen Aufgabe, für jedes angegebene Datum in jedem gegebenen Jahre der christlichen Zeitrechnung den Wochentag zu finden. 4

— — Auflösung einer Aufgabe aus der Forstwissenschaft, welche in die jährlichen Gehaue einschlägt. 4.

HΣIO-

ΗΣΙΟΔΟΥ ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ, Hesiods moralische und ökonomische Vorschriften, mit Anmerkungen und einem Wortregister von Ludwig Wachler, gros 8.

— — das Wortregister apart, gros 8.

Hodermann, G. H. Doctrina practica de Actionibus & Exceptionibus, Tom. IV. Sect. II. & ultim. 8 maj.

Kleine, Friedr. Universitätsjahre und Vorbereitung zum Predigerstande. 8.

Magazin, neues westphälisches, zur Geographie, Historie und Statistik, von P. F. Weddingen, 9tes Heft. 4.

Scherff, J. C. F. Dispensatorium Lippiacum genio moderno accommodatum. Pars I. 8 maj.

Seybold, D. C. kleinere Schriften vermischten Innhalts, 1ter Theil. 8.

Stolz, J. J. Geist der Sittenlehre Jesus, in Betrachtungen über die ganze Bergpredigt, 1ter Theil, gros 8.

Weddigens, P. F. Handbuch für Kaufleute, 1ter B. 8.

Pharmac. spec. 298.